

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Carl Heinrich Möller

**Specimen Commentationis Svccinctae De Vsv Practico Distinctionvm Fevdalivm : Ad Seriem Capitvm  
Examinis Jvris Fevdalis Stryckiani Ex Genvinis Jvris Fevdalis Langobardici Et Germanici Principiis  
Ervtae, Et Ad Fevda Tam Imperii, Qvam Provincialia In Primis, Domestica Megapolitana**

## Specimen [1]


Rostochii: Lipsiae: Prostat In Officina Koppiana, MDCCXL.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn894293664>

Band (Druck)

Freier  Zugang






K. L. - 197(19)

PL - 197(19)





SPECIMEN  
COMMENTATIONIS SVCCINCTAE  
DE  
~~9~~  
**VSV PRACTICO** /  
**DISTINCTIONVM**  
**FEVDALIVM**  
AD SERIEM CAPITVM  
EXAMINIS JVRIS FEVDALIS STRYCKIANI  
EX GENVINIS  
JVRIS FEVDALIS LANGOBARDICI ET  
GERMANICI PRINCIPIIS ERVTAE,  
ET  
AD FEVDA TAM IMPERII, QVAM PROVIN-  
CIALIA IN PRIMIS, DOMESTICA  
MEGAPOLITANA,  
APPLICATAE  
A  
CAROLO HENRICO MOELLER,  
JVR. VTR. D. ET CONSIST. DVCAL. MEGAPOL. ADV. ORD.  
ROSTOCHII ET LIPSIAE  
PROSTAT IN OFFICINA KOPPIANA  
M DCC XL.

SPECIMEN  
COMMUNICATIOES SACRIFICIALE

V  
AS A PRACTICO  
DISTINCTIONUM  
S A V I N P

Lib. V. Epist. XII. STRYCKIANI

Honestissimum est, majorum vestigia sequi, si modo  
recto itinere processerint.

AD LEVADA TAN IMPERII QAVM PROVIN  
CIALIA IN PRIMIS DOMESTIC  
MEGABOLITANA

ABELICATATE

A

CAROLO HENRICO WÖLFLER

ROSTOKIEN ET PHYSIQUE

LIBR. ATQ. Q. ET ORNAMENTA DAEVE MEGAPOLIS VD. 1600  
GEBOSTAT IN DRESDEN ROSENHAIN

VIRO  
ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO  
DOMINO  
**BARTHOLDO DIETERICO**  
DE NEGENDANCK

DYNASTAE IN ZIEROVV, REDEVVISCH  
ET HOHENVISCHENDORFF, C.E.T.

SERENISSIMI DVCIS MEGAPOLITANI  
CONSILIARIO PROVINCIALI,

PATRONO

LITTERARVM LITTERATORVMQVE  
COMMVNI,

MAECENATI

MVSIS MEIS FAVENTISSIMO

S. P. B.

CAR. HENR. MOELLER. D.



t TIBI, VIR GENEROSISSIME, hanc qualemcumque opellam meam ex veteri formula DEM,  
DICEM, DEDICEM, quae me impulerunt cau-  
sae, partim mihi cum Nostratis omnibus communes  
sunt, partim propriae. Communes sunt: Gentis TVAE, quae reliquas  
hujus regionis familias illustres tantum non omnes & antiquitatis & re-  
rum gestarum gloria vincit, avitus splendor; muneris TVI, quo publi-  
cae hujus provinciae & Illustris nobilium ordinis saluti curandae admotus  
es, dignitas; praeclara, quibus TE adhuc conspicuum praebuisti, in  
patriam & rempublicam tam civilem quam litterariam merita; invisi-  
tata, qua polles, eruditio, litterarumque humaniorum, jurium, histo-  
riarum, patriae in primis, interior cognitio; incredibilis denique, quo  
litteras earumque cultores prosequeris, favor ac benevolentia. En!  
egregiae ac prorsus singulares animi TVI ac fortunae dotes, quae  
quotquot TE norunt, quis vero quaeſo eſt, non dicam inter extraneos,  
ut modestiae TVAE parcam, ſed tantum inter noſtrates, cui nomen  
NEGENDANCKIANVM ſit incognitum? in admirationem TVI  
rapiunt, ita vt, ſi non majori, quo Saxones B VNAVIOS, Bruns-  
vicens MVNCHHAUSSIOS, certe eodem jure Megapolitani NE-  
GENDANCKIVM ſuum, tanquam patriae decus ac ornamentum,

litterarum

litterarum praesidium ac tutamen, litteratorum tutelarem ac promoto-  
rem, sufficiant, colant, venerentur. Cujus igitur potius nomini hunc  
qualemque laborem meum consecrarem, quam *TVO*? quem dignio-  
rem ac justiorem ejus judicem, quem fortiorum ac illustriorem ejus tute-  
larem eligerem, quam *TE*? Communibus hisce causis accedunt propriae.  
Vix enim consilium meum de adornando hocce opusculo cum publico com-  
municaveram, cum *TV*, *VIR GENEROSISSIME*, pro insigni  
*TVO* in litteras favore, litteris ad me humanissime datis, illud laudare,  
calculo *TVO* adprobare, mihi, ut in coepio pergerem labore, calcar ad-  
dere, monitis etiam ac consiliis *TVIS* me adjuvare, haud fueris dedi-  
gnatus. Ingrati profecto animi notam haud effugissem, nisi publicas *TIBI*  
pro immerita, qua studia mea prosequutus es, benevolentia referendi gra-  
tes occasionem, & sedulo quaesivissem, & datam ambabus, ut dicunt, ma-  
nibus, arripuisse. Non potui igitur, cum specimen hoc προπέμπτινος  
commentationis juris feudalis tam communis quam patrii in lucem emit-  
tere apud animum constituisse, quin hoc *ILLVSTRI NOMINI*  
*TVO* more majorum consecrarem, publicum hac ratione grati ac obser-  
vantis erga *TE* animi mei statuens monumentum. Evidenter ad-  
modum, fateor, est manusculum, quod *TIBI* offero, arida pumice expo-  
litum, nec satis *TIBI* dignum, quod cui non nisi magna, praeclara mu-

merisque

marisque omnibus absoluta placere possunt, ante oculos ponatur. Confusus  
sed animi TVI magnitudine, spero fore, ut non tam libelli exiguitatem,  
quam meam erga te pietatem; quae hoc officii genus a me exigit, spe-  
cies, & qua studia & conamina litteraria fovere soles gratia ac benevo-  
lentia, eadem nec meos quantivis pretii labores indignos plane judices.  
Accipe igitur, VIR ILLVSTRIS ac GENEROSISSIME, expli-  
cata fronte hocc quale quale meum opusculum in grati ac observantis  
erga TE anni mei tesseram ac monumentum; patere, ut ex praefixa  
ILLVSTRI NOMINE TVO praeципuum suum imo fere unicum  
capiat ornamentum; me vero, musasque meas TVO favore, benevolen-  
tia ac patrocinio complecti haud deditnare. Haec sunt, quae, non quod  
de voluntate ac humanitate TVA dubitem, sed quia mos est ita rogandi,  
etiam atque etiam rogo TE & ohsecro, a Deo T. O. M. ardentissimis  
efflagitans precibus, vt TE patriae bono ac emolumento GENEROSIS-  
SIMAE FAMILIAE TVAE splendori ac incolumenti bonorum  
denique omnium, in quibus aliqua non alieni a litteris animi est, signi-  
ficatio, praesidio ac tutamini, per seros annos superstitem velit esse ac in-  
columentem. Vale, VIR ILLVSTRIS ac GENEROSISSIME,  
mihique favere perge. Rostochii Prid. Id. Septembr. c10. 10cc. xxxx.

LECTORI

# LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

CAR. HENR. MOELLERVS.

Jurisprudentiae vagae, obscurae, corruptae, incertae, genuina  
atque praecipua inter ceteras causa est juriū, quae multa  
adhibita cautione ac solertia separanda erant, neglecta di-  
stincte distributeve tractandi ratio. Quisquis enim vel a limine  
historiam jurisprudentiae salutavit, ejusque originum ac fatorum  
cognitionem primis quasi degustavit labiis, huic certe non potest  
non satis esse perspectum ac cognitum, Germanos initio quidem  
sibi solis relictos, non nisi propriis ac domesticis vixisse legibus,  
moribus, institutis, peregrina omnia felicissimo admodum consi-  
lio, vtinam perpetua satis nec vnquam mutata indole, aspernen-  
tes atque fastidientes; postea vero per infelicissimam quandam  
*μεταμόρφωσιν* sui similes esse desiisse, & indolem illam rerum exte-  
rarum nimis curiosam, posteris deinde nativam quasi redditam,  
indutos, domesticas quoque leges ac consuetudines, si non fasti-  
dire plane & abjecere, saltim felicitati suae conservandae haud suf-  
ficientes putare, peregrinas adeo leges in subsidium advocate, in-  
que academias ac fora recipere, haud dubitasse. Duplici igitur  
jure constare coepit jurisprudentia Germanica, domestico altero,  
altero peregrino. Sua vtrique propria ac peculiaris constat ratio,  
illius quidem in statu reipublicae domesticae, hujus vero in statu  
reipublicae peregrinae quaerenda. Diversa vtriusque est obli-  
gationis vis, illius ex latione, hujus ex receptione. Peculiares  
ac diversi, vnde vtriusque interpretatio haurienda est, fontes, illius  
scilicet ex moribus & antiquitatibus monumentisvè domesticis,

\* 2

hujus

hujus ex peregrinis, sibi tamen patriis. Singularis denique vtriusque, vt ad facta obvenientia applicetur, habilitas ac aptitudo, illius quidem vniuersalis ac ordinaria, hujusvero nonnisi in quantum per receptionem permissa. Quae quidem omnia ac singula cum jurium, antiquioris praesertim aevi, interpretes supine neglexerint, rationem juris domestici & peregrini, saepe licet diversissimam, debita satis cura non investigaverint, leges domesticas fere omnes abjecerint, auctoritatem contra omnimodam juris peregrini agnoverint, jus domesticum non ex fontibus domesticis sed jure peregrino explicaverint, leges denique peregrinas obvenientibus quibuscumque casibus temere & praecipi consilio applicaverint, non potuit non exinde oriri jurium incertitudo, prolixitas, difficultas, varietas, corruptio, fere insanabilis. Latius haec & data opera si pertractarem, nae aetum ego agerem, postquam tot tantive nominis Jurisconsulti, quotquot scilicet eorum originem & causam corruptae jurisprudentiae sedulo inquisiverunt, deque ea emendanda, sanitativa sua restituenda; salutaria admodum dedere consilia, hanc quoque inter reliquas corruptae jurisprudentiae causam detexerunt, vituperarunt, deque ea imposterum, quanta maxima potest sollicitudine, evitanda quemvis solidae ac sanae jurisprudentiae studiosum prudentissime admonuerunt. Paucissima tantum in applicatione ad jus feudale adjiciendi, veniam peto. Jurisprudentiam feudalem in Germania etiam nostro adhuc aeo admodum esse incontam, hiuleam, asperam, laceram, vagam, incertam, distractam ac disruptam, quilibet, qui supra vulgus sapit, penitoremve sibi hujus disciplinae cognitionem acquisivit, facile intelligit. Quaenam vero hujus rei causa est? Nulla certe alia, quam quod jura, quae circa feuda in Germania obtinent, non ea, qua par erat, cura ac sollicitudine separantur distincteque traduntur. Sunt autem iurafeudalia in Germania vel domestica vel peregrina. Domestica sunt vel antiquiora, quae ex veteris aevi monumentis. chartis, diplomatibus, legibus ac confue-

consuetudinibus, quarum posteriorum haud contemnendam partem continet autor vetus de beneficiis, Jus itidem feudale Saxonum & Alemannicum, eruuntur; vel recentiora, quae ex legibus & consuetudinibus sequioris aevi constant. Peregrina sunt cum jus feudale Langobardicum, sigillatim quoad feuda, salvis tamen legibus & moribus patriis, receptum, tum jus canonicum & civile, a Doctribus non raro ad decidendas controversias, circa feuda ortas, adhiberi solitum. Horum omnium ac diversorum jurium explicandorum pariter ac applicandorum si non satis distincta atque curata ratio initur; si non proprii, vti par est, singulis determinantur; debitoque modo reguntur, fines; si non domestico juri, quae domestici, peregrino, quae peregrini est auctoritas, sollicite tribuitur, singulisve obvenientibus casibus sedulo observatur, sed summa cum imis, quadrata cum rotundis, sidera cum planetis, Romana, Canonica, Langobardica & Germanica jura invicem commiscentur, quid quaeso exinde aliud, quam confusum quoddam juris prudentiae feudalis chaos, anima pariter ac corpore destitutum, cadaver, sceletum, spectrum, produci potest? Sunt porro in Germania nostra feuda vel imperii, vel provincialia. Horum diversam admodum naturam ac indolem qui debita sollicitudine non attendit, nec, quae circa ea obtinent jura, ea, qua par est, solertia discernit, sed vel vtraque ex jure Langobardico dimetitur, vel feuda imperii ex norma feudorum provincialium dijudicat, ille certe in tenebris errat, ex jurium incertitudine, obscuritate, ac confusione se se nunquam extricaturus. Quid igitur agendum? Scopuli ac devia sunt evitanda. Recta incedendum via. Sed quaenam haec est? Quantum potest brevissimis eam demonstrabo. Distingue jura in Germania circa feuda vsitata & recepta, jus scilicet domesticum a peregrino. Illius rationem ac interpretationem ex historia, antiquitatibus, medii aevi monumentis, chartis, diplomatibus, in quibus antiqui juris Germanici vestigia velut fractae e naufragio tabulae supersunt, ex statu denique reipublicae Germanicae

proprio, repete; in hujus sensum ac indelem ex institutis, moribusve Langobardorum, aliisque fontibus ei domesticis inquire: juris vero domestici ex jure peregrino, sive Langobardico, sive Romano, sive Canonico, explicationem & determinationem cane pejus & angue fuge. Pone justos auctoritati & juris domestici & peregrini fines. Cogita, jus domesticum nos obligare primario, simpliciter, vi potestatis legislatoriae; jus peregrinum tantum secundario, ex recepto, in subsidium, salvis omnino legibus & consuetudinibus patriis. Mota igitur juris feudalis quaestione, non statim & praecepiti quasi casu in jus Langobardicum rue, sed juris prius domestici monumenta perquire, his vero T E deficientibus, vel juribus particularibus aliud jubentibus, ex jure demum peregrino decisionem pete. Indolem feudorum Germanicorum & Langobardicorum, propriamque vtrorumque naturam, & quae inter vtraque intercedant differentiae, sedulo inquire; sic statim de applicatione juris peregrini ad feuda domestica vel apta vel inepta dilucide satis TIBI constabit. Separa feuda imperii a feudis provincialibus, & illorum quidem naturam ex jure publico & historia imperiali determina, juris vero Langobardici nonnisī subsidiarium & exiguum admodum usum in dijudicandis controversiis circa illa subortis agnosce; horum vero indelem ex jure publico particulari, legibus ac consuetudinibus provincialibus, addisce, & quae circa illa moventur lites, ex jure particulari, jure vniuersali Germaniae, si quid in eo est, quod adplicationem admittit, nec expresse abrogatum esse constat, denique ex jure Langobardico dijudica. Cave a praeconceptis opinionibus, erroribus communibus, praejudicio auctoritatis, gravissimis illis veritatis investigandae impedimentis. Ipse oculis TVIS vide, lege, meditare, non antiqua omnia absolute rejice, nec, quae noviora, caeco quasi impetu arripe, sed cuncta sub examen revoca, ad sanas doctrinae stateram curatae exige, sis verus denique, non sectarius, sed eclecticus. Hac via, quamvis non eadem omnes felicitate incesserint, quotquot ad sanan-

sanandam jurisprudentiam feudalem medicas admoverunt manus,  
EYBENIUS, STRV VII, SCHILTERVS, HERTIVS, COCCEJVS,  
THOMASIUS, GVNDLINGIUS, SENCKENBERGIUS, & quem  
primo omnino loco nominare debueram, *Illustris LVDEVVIGIUS*,  
a cuius praestantissimo ingenio, indefessa industria, exquisitissima-  
que doctrina nonnisi praeclara quaevis, parum abest quin numer-  
is omnibus absoluta, in hoc doctrinae genere exspectare licet.  
Horum TV vestigia, quantum poteris, preme, sic TIBI inter pau-  
ciores adeo felici esse continget, vt aedes Corinthum, puto, vt  
juris feudalis TIBI comparaveris cognitionem, non obscuram sed  
perspicuam, non confusam sed distinctam, non vagam sed certam,  
non erroneam sed veram, non superficiariam denique sed solidam.  
Sed vela hic contraho, vberiora copiosioraque, quae de hoc argu-  
mento dici poterant, ne fines praefatiunculae, causis ac rationi-  
bus hujus meae scriptionis exponendis destinatae, excederem,  
opportuniori forte occasione reservans, jam de instituto meo,  
quantum necesse est, verba facturus. Haud equidem opinor,  
fore quemquam adeo in republica litteraria hospitem, quem in-  
signia B. JAC. FRID. LUDOVICI. Jurisconsulti primum Halensis  
deinde Giessenis Cancellarii, in jurisprudentiam omnem merita,  
exasciatissimaque varia ejus scripta, fugere possint, Inter poste-  
riora satis celebris est libellus, quem de *vſu practico distinctionum  
juridicarum* secundum ordinem pandectarum conscripsit, eo potis-  
sum confilio, vt quae ceteris notabiliore a Doctoribus ad dis-  
tincte perspicueque tradendam juris civilis doctrinam adhiberi  
solent, rerum distinctiones colligeret, earumque naturam vsumve  
in praxi verum ac praecipuum data opera ostenderet. Institu-  
tum sane & theoreticis & practicis, vti vocari solent, in primis ju-  
ventuti, non otiosam sed solidam jurisprudentiam addiscendi  
cupidae, apprime vtile ac commendabile, parum abest quin  
dicam necessarium. Scriptionis praeterea brevitas, dictionis per-  
spicuitas, stylique tersitas, omnibus B. AVCTORIS scriptis com-  
munes

unes ac propriae, hunc quoque libellum insigniter ornant ac commendant. Quid igitur mirum, eum Doctorum tantum non omnium applausum calculumque jure suo meruisse, id quod cum iteratae ejus saepius editiones, quas tamen pro infallibili semper optimi libri signo venditare nolim, tum frequentissima, quae illi tribui solent, Doctorum elogia, abunde satis testantur. Hoc igitur BEATI VIRI exemplo incitatus, distinctiones, quae ab interpretibus in tradenda juris feudalis doctrina adhiberi solent, congerere, quemque eae in praxi vsum habent, spurium ac genuinum, data opera ostendere, in animum induxi; hac potissimum ratione praestantiora quaevis magisve ardua ex ampliori doctrinae feudalis ambitu decerpi, eorumque ad praxin applicationem demonstrari posse, haud abs re existimans. Facile igitur intelligis, me non tam viris doctis, & jurisprudentiae heroibus, quibus in interiores ejus recessus penetrare datum est, sed cupidae potius legum juventuti, solidam sibi ac practicam juris feudalis cognitionem acquirere operam danti, labores meos destinasse. Rationem simul perspicis, cur a quaestionibus, quas nude theoreticas vocare solent, data opera abstinuerim, ea potissimum, quae vsum aliquem praese ferunt practicum, attente sectatus. Genus dicendi breve, perspicuum, castum, modestum non anxie quidem, quanto tamen fieri potuit studio, servavi. Ipsum jus ejusque veritates brevissime, nervose ac dilucide in textu exponendi curam adhibui. Vberiorem copiosioremque, si justa ac necessaria visa est, ejus explicationem & probationem in notulis rejici, ita ut qui nudum jus in contextu legere cupiat, textum, qui vero dilucidiores ejus expositionem desideret, notas consulere possit. Quid vero quantumve praestiterim, & an dignus sim LUDOVICIANI operis imitator, apud alios judicium esto; Mihi certe in arduis tentasse sufficiat. Sed ordo fortassis, quem in adornando opusculo secutus fui, TIBI non ad palatum est. Servavi enim seriem capitum, ad quam magni nominis JCtus STRYCKIVS ḥ manu-  
eītys

etn<sup>s</sup> examen suum juris feudalis conscripsit, quod tamen compendium, licet laude sua non defraudandum, inter optima sui generis ex delicatiori hodie juris feudalis peritorum gustu non est referendum. At bona verba quaeſo! Concedo STRYKIVM immortalis caeteroquin nominis ac meritorum JCtum humanae quid imbecillitatis, ob quam non omnia possumus omnes, paſſum, non eam, quam par erat, juris Germanici ex historia, antiquitatibus, diplomatis, cognitionem in eo conſribendo ostendisse, sed juris Langobardici placita, vulgatasque, nec raro erroneas, doctorum opinioneſ nimium ſectaſſe. Fateor superbire noſtra tempora compendiis juris feudalis hoc STRYKIANO foetu omnino praeftantioribus, juris Germanici doctrina, novarumque veritatum detectarum copia magis abundantibus. Salva tamen nihilominus res eſt. Mansit ad hunc vsque diem ſua STRYCKIANO labore in plerisque Germaniae Academiis laus ac exiftimatio, ita vt preelectiones juris feudalis a Doctoribus non raro ad eum institui soleant. Quid igitur ego a re alienum feci, ſi ad ejus ductum meditationes meas de *vſu práctico distinctionum, in doctrina juris feudalis obviarum*, in ordinem congeſſi? hoc confilio, vt studioſae juventuti, cuius diurna nocturnave manu STRYCKIANVM compendium versatur, cum eo meum quoque qualemque labore conjungere liceret. De Methodo, quam in elaborando hocce opusculo ſecutus adhuc ſui, ſequarque imposterum, ſi quaeris, ita tene. Quae in antecedentibus de distinguendis circa feuda in Germania juribus doméstico & peregrino, quae de separandis itidem feudis imperii & provincialibus monui, ipſe, vt fidelem docet doctorem, meo exemplo ſecutus ſum. Primo igitur de ipſa distinctionis, quam explicandam mihi ſumfi, natura ac indole, deinde de illius in praxi vſu, ex juris cum Langobardici tum Germanici principiis, eruendo demonſtrandoque ſui ſollicitus. Explicatione ſic legum, tanquam primo Jurisconsulti officio, peracta, ſecundum quoque, applicationem ſcilicet earum

\*\*

ad

ad feuda tam imperii quam provincialia non neglexi. Et quidem quod ad feuda imperii attinet, in describenda eorum natura semper fere ad juris publici doctrinam mihi recurrentum fuit, in qua tamen tradenda, quantum potui, paucis ac brevibus versatus sum, ne, dum vsum practicum distinctionum feudalium conscribendi animus sit, juris publici principia explicarem, adeoque unum jus altero miscerem; probe gnarus, hanc jurium confusionem solerte admodum evitare, & suum cuique disciplinae tribuere, accuratis methodi paullo studiosioris primum, secundum, ultimum, esse officium. Quod vero ad feuda provincialia attinet, nimis mihi profecto operosum quin supervacaneum visum fuit, singularum Germaniae provinciarum leges ac instituta feudalia perquirere. Cujuslibet enim, cui MVTIANVM illud: *Turpe est patritio, jus, in quo versatur, ignorare, ob oculos versatur, officii esse existimavi, patriae suae jura investigare, deque iis addiscendis cognoscendisque esse sollicitum, cuius opportunitas non raro ipsi dabitur occasio.* Hoc igitur cuiusvis industriae relinquere, quam non adeo certa, imo haud raro falsa, aliorum testimonio suffultus, de feudorum hujus vel illius provinciae jure, temere in chartam conjicere satius duxi. Contentus fui, patriae meae jura sciscitare, singularemque plane feudorum nostrorum Megapolitanorum indolem ex legibus & moribus provincialibus, quantum liquet, diligentissime explicare. Legum scriptarum verba, ex quibus peculiaris eorum ratio ex parte cognosci potest, in notis subjicere, tam in gratiam studiosae nostrae juventutis, juris patrii cupidae, cui tamen non semper ad manus sunt, quam in gratiam exterorum, quibus de feudorum nostrorum Megapolitanorum indole non satis constat, quin falsa plerumque residet opinio, haud inconsultum existimavi. Si cui distinctioni applicatio ad feuda imperii & provincialia nostra Megapolitana non est addita, cogites quae, eam vel applicationem passam non fuisse, vel applicationem, si qua forte institui potuerit, adeo fuisse

fuisse claram, perspicuam, patentemque omnibus, vt verba  
de ea facere inutile plane visum fuerit, vel, quod quantum ad feuda  
nostra Megapolitana in specie probe notes velim, de ea adhuc  
sub judice litem esse, vel nondum satis ex historia patria, legibus  
confuetudinibus, ac judicialibus decisis constare, vt propterea nec  
meum de ea judicium temere proferre fas fuerit. Singulas de-  
nique distinctiones allegatione optimorum ejus materiae scripto-  
rum exornare volui, non eo consilio, vt supellectilis meae libra-  
riae curtae admodum ac mediocris ostentarem thesauros, aut li-  
brorum variorum possessionem jactarem, sed hac potissimum  
intentione, vt studiosam juventutem ad praestantissimorum quo-  
rumvis, jurisprudentiam feudalem concernentium, librorum co-  
gnitionem, necessariam adeo ac vtilem, data hac occasione, fideliter  
diducerem, adque eos, si quorum copia datur, volvendos re-  
volvendosque stimulum adderem. Initio quidem animus erat,  
integrum libellum, quem, jam ad finem perductum, in scriniis  
meis extare, TE latere nolo, vno quasi parti in lucem emittere,  
sed mutavi postea consilium, eum in partes quasi secatum per  
varia specimina cum erudito orbi communicare, satius dicens.  
Rationes, quae me moverunt, si noscendi cupidus es, nec has TE  
celabo. Prima est, quod nostro huic aevo ea contingat felicitas,  
vt eruditissimi quique Doctorum conjunctis quasi viribus, com-  
municatoque consilio, juri Germanico, antiquitatibus domesticis,  
historiae patriae, excolendis, emendandis, ad liquidum deducen-  
dis, operam dent, vt hinc spes sit non incerta, fore, vt novae quo-  
tidie detegantur veritates, majorve indies jurisprudentiae quoque  
feudali lux affulgeat; hanc igitur exspectans, propriamque ad-  
jungens in legendō meditandoque industriam indefessam, cultio-  
rem indies magisque perpolitam meditationum mearum elabo-  
rationem me TIBI exhibere posse confido, majore sane TVI com-  
modo, quam si festinatum, nondumque satis digestum laborem in  
manus TVAS protruderem. Altera est, quod eruditorum de hoc

\*\*\* 2

meo

meo qualicunque labore judicia explorare maximopere in votis  
habeo, eo certe consilio, vt, si laudare dignentur, strenue & cre-  
scente indies industria in eo perficiendo pergam; siin habeant  
quod jure moneant, sequar, mutem, emendem; si inutilem pu-  
tent, abjiciam plane, probe gnarus, tempus adeo pretiosum ac  
irreparabile non inutilibus occupationibus terendum, sed ad vti-  
liora reservandum, neque numerum inutilium librorum, quibus  
adeo jam premitur respublica litteraria, temere augendum esse.  
En! igitur primum commentationis *de usu pratico distinctionum*  
*juridicorum, in doctrina juris feudalis occurrentium, specimen,* duo  
priora capita ad ductum *examinis juris feudalis STRYCKIANI*  
completens, nucleumque praecognitorum de feudis & jure feu-  
dali exhibens. Si hoc tuo favore & approbatione dignum judi-  
caveris, reliqua pro ratione τῶν περιστάσεων vel singulis vel alter-  
nis nundinis cum Deo & die propediem sequentur. Haec sunt,  
**BENEVOLE LECTOR**, quae **TE** volui, quod supereft, etiam atque  
etiam **TE** valere jubens. Dabam. in Alma ad Varnum  
Academia ipsis Kal. Augusti. A. R. S.

M D C C X L.



B. C. D.



B. C. D.

## COMMENTATIO SVCCINCTA

DE

# VSV PRACTICO DISTINCTIONVM FEVDALIVM.

CAP. I.

## DE ORIGINE JVRIS FEVDALIS, EJVSQVE AVCTORITATE.

DISTINCTIO I.

*Inter feuda, Germ. Lehren, in sensu generaliori & specialiori  
accepta.*

**E**quidem distinctionem hanc apud vulgares juris feudalis interpretes frustra quæsiveris; eam tamen non modo non cerebrinam, vel fictitiam, adeoque negligendam, sed insignis plane vtilitatis, imo necessitatis, adeoque dignam esse, cui princeps inter distinctiones nostras feudales locus assignetur, jamjam dicenda satis, puto, probatum dabunt. Feuda vero in sensu generaliori dico cuius-cunque generis res, quarum vtilitas alteri ab altero sub lege recognitionis conceditur, vel ob officia inde imposterum concedenti praestanda, vel etiam in compensationem officiorum olim exhibitorum. Feuda vero in sensu specialiori mihi sunt praedia, quorum dominium dimidiatum, vtile vulgo dicere solent, hominibus militiae capacibus confertur sub lege fidelitatis, & praestandorum inde servitiorum militarium. (a) Plurimum sane conduit haec distinctio (I.) ad accurate determinandam naturam feudi proprie sic dicti, eamque probe fecer-

A

secer-

secernendam ab indeole jurium feudo vicinorum, quae Germani com-  
 muni nomine Feode & Lehen appellare antiquitus confueverunt, (b)  
 (II.) ad legitime solideque resolvendam vexatissimam illam inter DD.  
 quaestionem: vnde originem habeant feuda? Responsio enim Do-  
 CTORUM ad hanc quaestionem adeo est vaga, diversa, ac multiplex, vt  
 vix major fuerit inter Graecos de Homeri patria contentio, quam  
 inter juris feudalis interpretes dissensio, cui potissimum genti honor  
 institutorum primitus feudorum attribuendus sit. Alii enim in ge-  
 nere ex jure gentium feuda originem habere afferunt, nulli certae  
 genti adscribendam: (c) Alii in specie certae genti primam eorum  
 introductionem vindicant; & quidem vel Romanis, (d) vel Graecis,  
 (e) vel Gallis, (f) vel Langobardis, (g) vel Germanis, & his qui-  
 dem vel vniversim, (h) vel sigillatim Francis, (i) Gothis, (k) Saxo-  
 nibus, (l) populis demum septentrionalibus. (m) Omnim specia-  
 lissime Imperatori Carolo M. gloriam institutorum feudorum tribuit  
 THOMAS FRANTZIVS, (n) rem acu tetigisse sibi visus. Imo, quod  
 mireris, non desunt, qui cum ipso fere humano genere feuda exti-  
 tisse, & ab iis, qui primi in alios imperium usurparunt, provenisse, sta-  
 tuunt, rationem inde, quare jam in sacris litteris (o) feudorum men-  
 tio fiat, arcessere non dubitantes. (p) Sed satis de variis variorum  
 Doctorum de feudorum origine opinionibus. Caetera enim senten-  
 tiarum monstra, quae quisque pro ingenii sui modulo excludit, fa-  
 cile taceo. Cui plura nosse volupe est, adeat juris feudalis interpre-  
 tes, in exponendis & refutandis diversis de feudorum incunabulis sen-  
 tentiarum generibus operam ponentes. (q) Mei jam erit, monuisse  
 totam hanc, quantam quantam, inter juris feudalis doctores contro-  
 versiam, si modo distinctione nostra vtaris, optimo, eoque facillimo,  
 negotio componi posse. Si enim de feudis in sensu generaliori, eo-  
 rumque origine, quaeras, haec vtique petenda erit ex jure gentium,  
 modo hoc pro moribus gentium, & jure apud eas consueto, accipias.  
 Ratio est in promptu, quoniam scilicet gentibus tantum non omni-  
 bus, in primis moratioribus, tam ab antiquissimis temporibus, quam  
 nostra adhuc aetate, mos, rei alicujus utilitatem alicui sub lege fidel-  
 tatis concedendi, semper fuit cognitus, id quod historia & monumen-  
 ta omnis aevi satis superque testantur. (r) Neutquam igitur a vero  
 aberrant, qui hoc sensu originem feudorum a nulla certa gente peti  
 posse,

posse, sed ex communī gentium jure eam derivandam esse afferunt. Contra, si de feudis in sensu specialiori, eorumque natalibus, quae-  
stionem intelligas, hi vtique certae cuidam genti, & quidem jure op-  
tumo, maximo, Francis erunt adscribendi. (s) Jam vero, si certo con-  
stet, vnde orta sint feuda, novus hinc inde promanat usus, accura-  
tam indolis feudi primaevae determinationem, justamque juris feu-  
dalnis interpretationem nimium quantum adjuvans; vtraque enim  
petenda erit ex moribus & legibus populi, a quo feuda introducta,  
non a peregrinis, quamvis etiam apud hos reperiatur institutum aliquod feudo haud absimile. (t) Haec hactenus de origine feudorum in genere dicta sunt. Jam originem feudorum, cum imperii, tum provincialium data hac occasione, sed tribus saltim, persequamur. Pri-  
ma feudorum imperii in Germania nostra initia jam sub Francorum in Germania regno quaerenda, liberalitatique tam Regum Merovin-  
gorum, quam Imperatorum, in primis Carolidarum, attribuenda esse, historia imperialis, quantum satis est, docet. (u) De origine feudo-  
rum provincialium sive Landfassicorum, cui potissimum aevi adscri-  
benda sit, in genere certi quid ac indubitate affirmari haud potest,  
cum non uno omnia tempore, nec uno modo, sed in hac provincia  
citius, in illa serius, alia per dationem, alia per oblationem, initium  
ceperint. (x) Supereft, vt patriam salutemus. Vtinam certiora de  
illa afferre possemus, nec magis, in ea hospites nos esse, profiteri ne-  
cessere haberemus, quam fortasse in exteris regionibus. Sed sic est in  
fatis. Tempus certe, ex quo feuda nostra provincialia Megapolitana originem traxerunt, in tanta, qua historia domestica, praesertim antiqua, adhuc laborat incertitudine, tuto determinari non potest. Ju-  
reconsultorum domesticorum de hac re conjectuae in duas potissi-  
mum abeunt classes. Vna est illorum, qui in facto Henrici Leonis, devictis & ad internacionem deletis Venedis, antiquis harum terra-  
rum incolis, terram Megapolitanam inter familias Saxonicas, in hanc  
regionem delatas, distribuentis, (y) prima feudorum Megapolitanorum stamina sepe deprehendisse, satis certo confidunt. (z) Altera est  
eorum, qui prima feudorum Megopolitanorum initia in ea rejiciunt  
tempora, quibus celebris illa Germaniae allodialis in feudalem con-  
tigit μεταμόρφωσις, sive vt clarius loquar, quae vigentibus ubique  
allodiorum in feuda oblationibus, provincialibus plerarumque Ger-  
maniac

maniae regionum feudis suos dederunt natales. (aa) Vtra harum sententiarum eligenda sit, cuiuslibet, cui patriam historiam penitus nosse datur, arbitrio relinquimus, meum quidem de hac re judicium publice profiteri, sat graves adhuc causae prohibent. (bb)

- (a) Duplex quidem vulgo constitui solet genus & militiae, sagatae scilicet & togatae, & feudorum militarium scilicet Germ. Ritters-Lehn, Kriegs-Lehn, Mann-Lehn, Lehn mit Manschafft, & paganorum sive palatinorum, Germi. Hoff-Lehn, Hoff-Dienst-Lehn, Lehn ohne Manschafft, quorum vtriusque propterea inter feuda, in sensu specialiori mihi accepta, referendum esse, videri posset. Sed liceat mihi defendere sententiam, feuda palatina non esse feuda in sensu proprio & specialiori ita dicta, adeoque jure feudorum ordinario non censenda, sed ex jure proprio, curiali scilicet, Hofe Recht, dimetienda. Ita enim A V T. V E T. de Benef. §. 130. quicquid homo non suscipit per hominum, non judicatur esse beneficium; sicut cum bona concedit dominus suis ministerialibus non per hominum, sed secundum jus curiae. Haec concessio caret beneficiali jure, sed est concessio officialis, cetera. Idem iisdem pene verbis legitur in JVR. FEVD. SAX. c. LXIII. ex edit. Schiltz. Swilch Gut dem Manne ane sine Manschafft geligen wird, dez nu heizet nich ein recht Lehn, also das Gut, das der Herre sine Dienstmannen liehet, ane Manschafft zu Hoverecht. & ALEMAN. c. CXIII. rubr. vom Hoferecht Lehn, §. 1. Welich Gut dem Manne ohne Manschafft geliegen wurt, das heizt nur recht Lehn, als do ein Herre sine Dienstmann Gut liehe zu Hofe Rechte, und derabe soll er Hoferechts pflegen, und mit Lehenrechts. it. §. 5. aber Recht Lehen mus man mit Manschafft entphohen. Quae observatio in accurate determinanda feudorum militarium & palatinorum diversa indole, omniisque vtriusque invicem commixtione evitanda, insignem praebet utilitatem. Mihi certe, in distinctionum circa feuda obvium explicatione versanti, de feudis militaribus & propriis potissimum erit sermo, vberiorem feudorum palatinorum tractationem alio loco ac tempore referens. Confer interim ACTA LINDAVIENSIA pag. 603. HVLD. ab EYBEN. Elect. Jur. Feud. Cap. IX. §. XI. SENCKENBERG. prim. lin. jur. feud. in protogom. §. XXIV.
- (b) Significatum germanicae vocis Lehen s. Lehn admodum late olim patuisse, cui libet rerum patriarcharum, & veterum monumentorum haud ignaro satis superque constat. Denotavit enim quancunque concessionem alteri, certo aliquo sibi reservato, factam; mutuum, commodatum, precarium, emphyteusin, censum, & quae id genus alia, sub se complectens. Solemnis igitur antiquis temporibus fuit clausula: Zu einem wahren, rechten, eigentlichen Lehn, litteris investiturae eo fine inseri solita, ut hunc contractum vere feudalem esse indicaretur, isque nota hac characteristica a reliquis negotiis, eadem quidem denominatione Lehen insigniri solitis, non tamen proprie feudalibus, distingueretur. Sufficiet ex insigni chartarum veterum multitudine, eas, quae primo statim intuitu sese offerunt, citare. Legas igitur quoquo Diploma Gerlaci Archiepiscopi Moguntini de anno



1356, quo feudum ab Adolpho Nasioviae Comite oblatum eidein contulit, hae  
adjiciali clausula: und han wir ihm und seinen rechten Erben, Söhnen und Löch-  
tern von unsern Nachkommen und Stifteswegen den Bergk und Burgk <sup>zu</sup>  
rechten Leben ewiglichen gelichen und leihen mit diesem Brieve ic. apud HER-  
TIVM de feidis oblatis. P. III. num. III. Litteras investiturae a Salentino  
Archiepiscopo Coloniensi anno 1572. concessas, his inter alia verbis: Wir Sa-  
lentin von Gottes Gnaden <sup>zu</sup> daß wir unserm Lieben getrennen Johann Schne-  
sen von Gransau <sup>zu</sup> mit unsrem und unsers Erstüsts Hauf Krey <sup>zu</sup> gnä-  
diglich zum rechten Leben belchnet haben ic. quas exhibit THVMMER.  
MVTH in Tr. Krumftab schlust niemand aus. p. m. 196. num 232. Reversales  
fratrum Hermann & Eberwin a Nettur anno 1377. Conrado Abbatii Fuldensi ex-  
hibitos, vbi haec leguntur: so hat auch unser vorgenannt gnädiger Herr von sinen  
sundern Gnaden, uns unsern Erbenn dieselbe Huſe und Hoſe zu Manschafft, und  
<sup>zu</sup> rechten Fuldischen Lehn vorliehen, die wir auch also von sinen Gnaden ent-  
phangen haben, apud SCHANNAT. in probat. Client. Fuld. num. CCCCXII.  
Confer JVS FEVD. ALEMANN. Cap. C. §. IIX. Cap. CX. CXIII. &  
CXXV. Idem de vocibus BENEFICIVM & FEODVM monendum est, qui-  
bus in genere quaelibet collatio praedii vel salarii, addita certa conditione, vel  
lege recognitionis, facta denotari consuevit. Hinc varia illa beneficiorum feu-  
dorum genera, palatina puto, ecclesiastica, rustica, censualia, reliqua; quo-  
rum omnium ratio in quibusdam cum natura feudorum propriorum sive mili-  
tarium convenit, in plerisque tamen ab ea nimium quantum distat. Conf. Cap.  
seq. Distinct. i. not. g. Haec igitur qui negligit, nec separanda ea, qua par est,  
cura ac sollicitudine separat, qui aliter fieri potest, quam vt in syrtes & devia  
abeat, & a rete tramite, ad solidam & distinctam jurium feudalium cognitionem  
deducente, quam longissime aberret? Tu quisquis recta via incedere cupis, se-  
quere duces EYBENIVM l. c. Cap. I. §. IIIX. sequ. & Cap. VI. §. VII.  
SCHILT. ad rabi. jar. feud. Al. §. V. sequ. a LVDEVVIG. in jar. clientel.  
Sect. I. Cap. II. & III. It. in jurib. feudorum R. I. Tom. I. Cap. II. quæſt. III.  
& Cap. III. quæſt. I. GEBÄVER. in Diff. de originibus feodi, qua vocem, qua  
rem, non externis, sed Germanicis. Cap. I. CONRADI in obſervat. feudal. theo-  
retico practicis. obſ. III. de nominibus Germanicis Feode & Lehen.

(c) STEPH. FORCATVLVS de feud. Cap. I. num. X. sequ. GODOFR. AN-  
TON. in jur. feud. Disp. I. Thes. I. lit. c. CASP. HENR. HORN. in ju-  
risprud. feud. Longob. Tent. Cap. I. §. XIV.

(d) Larga satis & ampla est in Jure Latii beneficiorum beneficiariorumque materia,  
cui si jungans amorem illum juris Romani caecum fere ac nimium, jureconsul-  
torum, antiquioris præfertim aevi, animos occupantem, causa statim apparent, qua  
permoti juris feudalis interpretes feudorum prima stamina in Latio querenda  
esse sibi persuaserint. Et quorū ingenti prorsus numero citare sufficiat ceteris  
& fama & eruditione celebriores. VVOLFG. LAZIVM de Republ. Rom.  
Lib. I. p. y. CVJAC. in Comment. ad I. Feud. I. & Lib. IIX. obſ. XIV. JAC.

GOTHOFRED. ad Tit. C. Theodos. de terris limitaneis. LASIVM in Epit. Feud. Part. I. num. I. Reliquos in certas adeo sectas divisos ordine recentior VVLT E J. de feud. L. I. Cap. I. num. XI. Quibus ex recentioribus insigni eruditio apparatu calculum suum adjecerunt B. GVNDLINGIVS in Gundlingianis Part. I. num. I. item Part. XV. num. II. & Illustr. MASCOV. in den Geschichten der Deutschen, bis zu Anfang der Fränkischen Monarchie. Lib. V. num. IX. p. 194.

- (e) Quibus praedia militaria, feudorum imaginem haud parum referentia, fuere cognita. Celebris de his est Novella Imperatoris Constantini Porphyrogenetae, quam eam ob causam Libro V. feud. integrum inseruit JAC. CVJACIVS. Σύνοψις ejus exhibit CONSTANT. HARMENOPVLVS in Promptuario jur. civil. Lib. I. Tit. XVI. Confer CRAGII jus feud. Lib. I. Tit. V. §. V. & VI.
- (f) In quorum vel Solduriis, de quibus CAESAR de bell. Gall. Lib. III. Cap. XXII. JOH. PETR. ANCHERSEN de Solduriis. EBERH. RVD. ROTHIVS in Diff. de solduriis s. devotis, vel Ambagis, quos Clientes interpretatur CAESAR. loc. cit. Adde VVACHTER. Gloss. Germ. voc. Amtmann, se vasallorum vestigia reperisse tuto sibi persuadent REN. CHOPPINVS de commun. Gall. consuetud. Part. II. §. IV. num. IV. FRANC. CONNANVS in Comment. jur. civil. Lib. II. Cap. IX. num. VI.
- (g) Ob ea quae refert PAVLVS DIACONVS de gestis Langobardorum Lib. III. Cap. XVI. & Lib. V. Cap. XXIX. REGINO ad annum 517. HVLD. MVTIVS in chronic. Germ. fol. 40. Placuit haec sententia GVID. PANCIROLLO in Thes. Var. Lect. Lib. I. Cap. IX. CARL. MOLINAEO ad consuet. Paris. Tit. I. princ. num. XXVI. FRANC. DVARENO in Comment. ad consuet. feud. Cap. III. num. IV. SIGISM. FINCKELTHAVS. in controv. feud. Diff. I. Controv. V. & omnibus fere JCtis Italica, primis juris feudalis interpretibus, vel Germanis quidem, sed pro genio seculi non nisi Italica edocitis, quorum insignem numerum citat LVDVSELL. in Synops. jur. feud. pag. m. 4.
- (h) E quorum numero est HEIGIVS Part. I. Ques. I. RITTERSHVS. in Partition. jur. feud. Lib. I. Cap. I. ques. II. sequ. FRID. CAR. BVRI in der Erläut. des Deutsch. Lehn. Part. I. p. 19. sequ. Praesertim in comitibus Germaniae principum, de quibus TACITVS de moribus Germ. Cap. XIII. & XIV. prima vasallorum vestigia deprehendi, speciose satis defendunt STRVIVS in Syntagm. jur. feud. Cap. I. aph. III. num. III. JAC. CAR. SPENER. in observ. bish. feud. obs. I. §. V. seqq. & Illustr. HEINECCIVS in Eadem. jur. Germ. Lib. I. §. LXVI.
- (i) ANT. DAN. ALTESERRA de origine & statu feudorum Cap. I. quem auctorem sequuti sunt ERIC. MAVRITIVS in posit. feud. Dec. I. pos. 6. coll. VII. Diff. de principiis jur. publ. Germ. subjecto. HVLD. ab EYBEN. in Elect. jur. feud. Cap. I. §. VII. Cap. IV. §. I. not. g. & in Diff. de origine illustris

- suis regulae: S. R. I. principes tantum posse in suis territoriis &c. Cap. II. HENR. COCCEJVS in Hypomnem. jur. feud. Tit. I. §. V. Loca classica huic sententiae robur addentia sunt AIMONI Lib. I. Cap. XIV. & GREGOR. TVERONENSIS Lib. IV. Cap. XXXIX. Lib. VII. Cap. XXII. Lib. X. Cap. XIX.*
- (k) *Ob ea quae tradit PROCOPIVS Hist. Goth. Lib. I. Cap. I. & CASSIODORVS Var. Lib. XII. form. V. Ita sentiunt FRANC. HOTTONANNVS in Disp. feud. Cap. I. JOHAN. LOCKENIVS in antiquit. Sueo-Gothicis. Lib. XII. Cap. VII.*
- (l) *PAVL. HACHENBERG in Germ. med. Diff. IX. §. II.*
- (m) *THOM. CRAGIVS de feud. Lib. I. Tit. IV. & V. §. fin. cui adstipulatur SCHILTER in Com. ad Rubr. jur. feud. Alem. §. IIX.*
- (n) *In oratione de Carolo M. primo feudorum autore & Diff. de feudorum origine, quorum vtraque Syntagmati juris feudalnis Struvianò est subjecta, quem tamen post HEIGIVM in quæst. I. & THOMASIVM in Diff. de originibus feudalibus. §. VI. multis refutare aggressus est JAC. CARL SPENER in observat. hist. feudal. obl. III.*
- (o) *GENES. XIV. v. 4. 2. PARALIPOM. XXXVI. v. 13.*
- (p) *JOH. NIELLIVS in Disp. feud. I. Thes. I. Eadem pene chorda aberrat B. STRYCK. in Exam. jur. feud. Cap. I. quæst. III.*
- (q) *BESOLDVM de origine feudorum. SCHENCK. de ortu & retractu feudalium. ROSENTHAL. de feudis Cap. I. concl. IIX. FACHINAEVUM in Controv. jur. Lib. VII. Cap. I. RITTERSHVS. Partit. jur. feud. Lib. I. Cap. I. quæst. V. BVRI. Erkl. des Deutsch. LehnR. Part. I. pag. 2. sequ. ceteros.*
- (r) *Quid igitur mirum, apud Turcas quoque & Japonenses feudorum vestigia Doctores reperisse? Certe Timariotarum ordo apud Turcas vasallitici ordinis imaginem referre videtur ob descriptionem, quam de illo suppeditant BODINVS de republ. Lib. II. Cap. II. & CRAGIVS de feud. Lib. I. Tit. IV. §. IV. Japonensium vero praedia ab ipsorum principe inter milites distribui solita feudorum indolem haud obscure exprimunt, teste LVDOV. MOLINA de Just. & jur. Tract. II. Disp. CCCCLXXXV. num. II. apud STRVVIVM in Syntagm. jur. feud. Cap. I. aph. III. num. II. & MAVRITIO in posit. feudal. Dec. I. pos. V. Et quis temere negaret, etiam reliquis gentibus, barbaris licet, instituta esse posse feudis haud absimilia, nobis adhuc incognita. Hoc magis fortasse mireris, dari inter gentes Europaeas, quibus feudorum instituta non probentur, e. g. Hispanos, quibus soli Majoratos sunt cogniti, testimonium perhibente AE. PINELLO in Comment. ad L. I. C. de bon. matern. Part. III. num. LXXXIV. & LVD. MOLINA. l. c. Disp. X. num. IX. & Disp. cit. num. III. imo in Germania nostra, regno illo clientelari dem LehnReich, non deesse provincias feudorum nescias, Frisiam puto orientalem & Holstatiam.*
- (s) *Quod, quantum sufficit, puto demonstratum dederunt post ALTESERRAM, MAVRITIVM, EYBENIVM, COCCEJV M, supra jam not. I. laudatos, HERTIUS de feud. obl. Part. I. Thes. II. & in Notit. regn. Franc. vet. Cap. III. §. LVI. THOMASIVS in Diff. de origin. feudal. §. III. sequ. & in sel. capit. hist.*

*SV* bīst. jur. feud. §. XXXIV. sequ. STRVV. in jurispr. feud. Cap. I. §. IV. Item in bīst. jur. Cap. IIX. §. IV. & quotquot inter noviores, cognitione historiae antiquitatumque germanicarum fatis imbuti, explicando jure feudalī medicas admoverunt manus.

(t) Hinc sole clarius liquet, laterein eos lavare magnoque conatu maximas agere nugas, quotquot vel antiquo vel nostro tempore feuda Germaniae, ex legibus & consuetudinibus domesticis potissimum explicanda, ex moribus Langobardorum, vel jure veteris Latii, vnicē dimetiri agressi sunt. Rectorem felici sidere viam ingressi sunt EYBEN in Elec. jur. feud. SCHILT. in Comment. ad jus feud. Alem. THOMASIVS in selectis feudalibus. SPENER in observationibus bīst. feudalibus. CASP. ACH. BECK. in Tr. de paribus reipubl. ministri & vasallū juribus. BVRC. GOTTH. STRVV. in jurisprudent. feudal. SENCKENBERG in primis lin. jur. feud. ESTOR in den auserlesenen Kl. Schriften. item in observationibus juris feudal, & quem primo loco nominare debueram Ill. a LVDEVVIG in scriptis suis passim, praesertim in jure clientelari Germanorum, & eximio, quod nuper caepit, opere de juribus feudorum Rom. Imp. atque Germ. princ. vt caeteros taceam, quibus cum jurisprudentia Germanica in genere, tum in specie feudal, vt a laciniis juris peregrini purgata, sibi restituta sit, & nova exinde quotidie nitoris sui ac puritatis capiat incrementa, fert acceptum.

(u) Cui ipsos fontes, ex quibus veritas hujus asserti stabilienda, adire non licet, legat instar omnium HERTII Diff. de origine ac progressu special. rerum publ. R. G. I. ITTER de feud. Imp. Cap. I. §. XI. sequ. SPENER im Teutsch. jure publ. Tom. III. Cap. IX. & qui data opera hanc thesin sibi defendendam sumvit. V. Cl. JAC. GABR. VOLFF. in Dissert. de feudorum imper. origine ac indole sub primis Franciae Regibus. Plura quidem sunt, eaque haud exigui momenti, quae a contrastentibus solent objici, e quibus citare sufficiat PHIL. THEOD. VERPOORTEN de Ducatibus in veter. Germ. regno hereditariis, eorumque origine. Ill. Cancell. a LVDEVVIG in der Erläut. der Guld. Bulle. Tom. II. p. 971. seqq. Item in singularibus juris publici, & qui vestigia ejus secutus est Celeb. AD. FRID. GLAFÉY in Historia Germanicae polemica p. m. 81. Sed ea hic recensere, nedum sub examen revocare, quid aliud esset? quam fundamenta juris publici tradere, quod ab instituti mei ratione longe alienum est, finesque hujus operis mihi praestitutos quam maxime excederet. Hoc tamen quin addam monitum praetermittere non possum, parum scilicet abesse, quin illustris haec de origine feudorum imperii inter juris publici mystas controversia in Λογοπαχτιαν degeneret, si distinctio inter prima feudorum imperii initia in genere, & originem hodiernae eorum indolis non ea qua par est sollicitudine curaque attendatur, statusque adeo controversiae non accurate satis formetur.

(x) Jam inde tamen ab antiquissimis temporibus in Vassis Ducum & Comitum vestigia eorum hand obscura reperiri, nemo fortassis temere negabit. Frequens ho-

EUM

rum sit mentio in legibus & monumentis antiquis Germanicis, e quibus hic in medinu proferre satis erit LEGEM ALEMANNORVM Cap. XXXVI.  
 §. V. Qualiscunque persona sit, aut Vassus Ducis aut Comitis, aut qualiscunque persona, nemo negligat ad ipsum placitum venire ap. BALVZIUM Tom. I. fol. 67. & in Corp. jur. Germ. antiqu. a Cel. PETRO GEORGISCH edito pag. 212. LEGEM item BAIIVARIORVM Tit. II. Cap. XV. n. I. Qui infra illum comitatum manent, sive Regis Vassi, sive Ducis, omnes ad placitum veniant. ap. BALVZIUM l.c. f. 105. & GEORGISCH p. 271. Plura loca cumulata si quis legere gestit, evolvat CAR. du FRESNE Gloss. voc. Vassus. Clarius adhuc feudorum provincialium jam sub Carolidarum imperio frequentiam evincuat Capitularia Regum Francorum. E quibus allegare nobis placet CAPITVLARE CAR. M. de anno 807. Cap. vlt. Volumus itaque atque praecepimus, ut nisi nostri per singulos pagos praevidere studeant omnia beneficia, quae nostri & aliorum homines habere videntur &c. ap. BALVZ. l. c. f. 409. & GEORGISCH p. 730. CAPITVLAR. CAROL. M. & LVDOV. PII Lib. V. Cap. CCL de juramento, ut nulli alteri per sacramentum fidelitatis promittatur, nisi nobis & unicuique proprio seniori ad utilitatem nostram & sui senioris &c. & CAP. CCCLXXVI. Admonemus etiam Episcopos & Abbates, ut per premia hominibus suis beneficia nec auferant nec dovent &c. ap. BALVZ. l. c. f. 873-904. & GEORGISCH p. 1406. 1506. CAPITVL. denique LVDOVICI II. de anno 807. Cap. 5. Abbates vel Abbatissae & plenissime homines suos non dixerint, ipsi suos honores perdant, & eorum Vassalli & proprium & beneficium perdant. ap. BALVZ. Tom. II. p. 300. Reliquas Doctorum de illorum aetate conjecturas deprehendere poteris apud scriptores de ministerialibus & origine nobilitatis Germanicae, ex quibus commendari meretur Vir celeberrimus JOH. GEORG. ESTOR de Ministerialibus, CHRIST. GOTTL. RICCIUS im zuverlaßigen Entwurff vom Landsäfigen Adel in Teutschland. DAV. GEORG. STRVBENS Commentatio de origine nobilitatis germanicae, eruditissimo. Ej. operi de jure villicorum in calce adjecta. Consule praeterea Illustr. Aulae Holsaticae Cancellarium Generos. Dn. de VVESTPHALEN in Meditatione pragmatica de fatis atque usu studii juris feudalis in Germania. §. XII.

- (y) Quod refert HELMOLDVS in Chros. Slav. Lib. I. Cap. LXXXVII. num. IX. ex editione Bangerti, & MARESCH. THVRIVS in Annal. Herul. Lib. II. Cap. XL. quem in lucem denuo protraxit modo laudatus Ill. Dn. de VVESTPHALEN, Tomoque I. monumentorum incitorum rerum Germanicarum inseruit.
- (z) TORNOV. de feud. Megapol. Part. I. Cap. I. §. VI. & X. AVTOR secundæ editionis der Klüverischen Beschreibung des Herzogthums Mecklenburg. Part. I. Cap. XXXV.
- (aa) GEORG. ENGELBRECHT in Diff. de singul. feud. Meckl. jurib. Sect. II. §. III. Generos. Dn. de PREHN in Diff. sub præf. Celeberrimi KOELERI habita de origine & incrementis iurium & privil. nobil. Mecklenb. §. XXIV. Concinnunt his qui vicinorum Pomeraniae feudorum iura, feidis nostris Me-  
gapolitanis

gapolitanis in plerisque capitibus apprime convenientia, exposuerunt, MEVIVS  
in Conf. XLIV. num. XI. sequ. IDEM in jur. publ. Pomerania Cap. XXIV.  
apud PISTORIVM in amoenitatibus hist. jurid. Tom. IV. p. 1034. sequ. RHE-  
TIVS in Comment. ad I. Feud. I. pag. m. 46. LVDVVIG. ad Auream Bull.  
Tom. II. pag. 991. sequ.

(bb) Confer quae infra traditurus sum ad CAP. IV. DISTINCT. IX. circa fin.

## DISTINCTIO II.

### *Inter Jus Feudale Langobardicum & Germanicum.*

Jus circa feuda constitutum, & in praxi circa feuda observari soli-  
tum, est vel Langobardicum, vel Germanicum. Jus feudale Lan-  
gobardicum illud dicitur, quod corpori juris civilis Romani sub titu-  
lo: collationis decimae, & rubro: consuetudines feudorum, adjectum  
habemus, consutum ex moribus & Legibus Langobardorum circa  
feuda vstatis, constitutionibus quibusdam Imperatorum Germanico-  
rum, (a) Decretis Pontificum (b) & doctrinis quibusdam juris Ro-  
mani (c). Jus feudale Germanicum est, quod a prima feudorum ori-  
gine ad nostra vsque tempora in Germania circa feuda, vel per mo-  
res, vel per leges scriptas, constitutum est: quorsum refero mores  
feudales, sub Francis, primis feudorum auctoribus, receptos, constitu-  
tiones Regum Francorum, Imperatorumque Carolidarum, quas capi-  
tularia maximam partem exhibent, Constitutiones caeterorum Im-  
peratorum Germanicorum, Autorem veterem de beneficiis, jus feu-  
dale Saxonum & Alemannicum, caeterasque leges ac consuetudi-  
nes Germanorum medii aevi, ex historiarum monumentis & diplo-  
matibus συνχρόνοις eruendas, Leges noviores feudales, tam vni-  
versales Imperii, quam particulares provinciarum, observantiam denique  
imperiale, provinciarumque Germaniae consuetudines singulares.  
(d) Sed quorsum haec? Dupondiis ea jam satis cognita, notioraque  
fere sunt, quam vt afferri mereantur. Bona verba quaeso! Si enim  
qua, haec certe distinctio gravissimi est momenti, vsum quippe secum  
ferens, totam jurisprudentiae feudalis germanicae legitimam faciem  
justamque indolem breviter delineantem ac experimentem. Hic est. (I.)  
Jus feudale Langobardicum nos non obligat vi potestatis legisla-  
triae, ex qua profectum; nunquam enim Langobardi Germanis, sed  
hi

\* \* \*

hi potius illis, imperarunt. Nec compilatio iuris feudalis Langobardici vñquam expressa lege vel ab Imperatoribus vel a Statibus imperii fuit confirmata, (e) sed auctoritatem suam tantummodo habet ex recepto, quatenus per institutas in Germania academias vsus ejus ex Italia in Germaniam adiectus, & sensim sensimque in judicia, tacentे & non contradicente summa potestate, deductus est; quae tamamen receptio privatim facta deinde, seculo in primis xv. & xvi. tam per Leges imperii vñversales (f) quam statuta provincialia fuit approbata. Jus vero feudale Germanicum vim obligandi vtique habet per se, non demum ex receptione. Est enim a summa potestate, quae jus leges ferendi in Germania jure semper exercuit, vel expresse profectum, vel ea consentiente per mores introductum. Tribus: Jus feudale Langobardicum est peregrinum & adscititum, cui auctoritas per receptionem est donata; Germanicum contra est domesticum, cui vis obligandi per se inest. Hinc sequitur (II.) juri feudali Langobardico non eam absolutam & vñversalem in foris Germanicis tribuendam esse auctoritatem, vt vbiique & quocunque casu in decadendis quaestionibus feudalibus ad illud tanquam ad sacram anchoram configere liceat, sed limitatam admodum & restrictam, quod scilicet vel receptum sit, vel recipi potuerit, idquod, si non aliunde, certe ex diligenti feudorum Germanorum & Langobardorum instituta comparatione, diversaque vtrorumque indolis facta inter se collatione, facilis negotio ad liquidum perduci poterit; juris vero Germanici omnimodam obligationem semper in dubio præsumendam esse, lex enim domestica cur stare prohibetur, donec mutatio ejus doceri possit? Ex quo consequens est (III.) existente casu collisionis juris peregrini Langobardici cum domestico Germanico hoc illi esse anteferendum. Illius enim receptio facta est tantum in subsidium, salvis omnino moribus & legibus patriis. (g) Vnde (IV.) nova haec promanat veritas: posito scilicet hoc collisionis casu, illum, qui innititur juri domestico, fundatam pro se intentionem, (liceat mihi stylo practicorum vti) nec opus habere, vt juris sui probet observantiam; præsumtio enim pro eo militat, quae liberat ab onere probandi. Qui vero jus peregrinum pro se allegat, ejus quoque observantiam probet, necesse esse; pugnat enim contra eum præsumptio, ideoque onus probandi in ipsum devolvit. (h) Denique (V.) interpretatio

diversorum iurium ex diversis etiam fontibus petenda. Sic jus feudale Langobardicum mere tale ex historia & antiquitatibus Langobardorum explicationem desiderat, imo & ex Legibus ipsorum allodialibus, quarum non vna vice in consuetudinibus feudorum mentio fit; (i) Jus vero feudale Germanicum ex fontibus domesticis, Historia scilicet tum imperii, tum provinciarum, antiquitatibus, praesertim militaribus, moribusque ceteris Germanorum, ex monumentis diplomaticisque vetustioris aevi, quorum ex ingenti vel nausfragio tabulae supersunt, eruendis, interpretationem exspectat. (k) Ita demum turbati inter jus feudale Langobardicum & Germanicum fines juste reguntur, suum utriusque propitia Themide tribuitur, peregrinum inter cancellos suos reprimitur, domestico vero debitus honor ac nitor restituitur. Restat ut hactenus dicta ad feuda cum imperii tum provincialia applicemus. Certe usum juris feudalis Langobardici, non legalem modo, verum etiam doctrinalem, intuitu feudorum imperii admodum exiguum, vel, ut moliori, ne crabrones irriterem, vocabulo utar, subsidiarium tantummodo, & intra debitos limites multa adhibita circumspectione coercendum esse, quis quaeso negabit? nisi qui ad solem caecutire, & in tanta hodierna juris publici luce in tenebris versari, laudi sibi duxerit. Omne potius circa iura feudorum imperii determinanda punctum absolvit jus feudale Germanicum domesticum publicum, ex historia imperiali, consuetudinibus item & legibus imperii vnicce repetendum. (l) Quantum ad feuda provincialia attinet, eisdem horum intuitu largior paullo ac remissior juris Langobardici usus concedendus est, non tamen is, qui ipsum ius domesticum pessimum, sed intra debitos, quos ipsi in antecedentibus posuimus, limites omnino coercendus. (m) In Megalopoli nostra ius feudale Langobardicum receptum, imo usque adeo usum ejus extensum esse, vt in casibus, speciali constitutione vel consuetudine provinciali earumque analogia non determinatis posthabito iure antiquiore Germanico, statim ex eo decisio petenda sit, Leges provinciales satis clare testantur, (n) unde est, quod, qui deficiente lege vel consuetudine provinciali earumque analogia, ad ius feudale Langobardicum provocet, fundatam omnino habeat intentionem, nec is, qui ius antiquius Germanicum commune pro se alleget, audiatur, nisi ejus rite probaverit observantiam. (o)

(a) I. FEVD.

- (a) I. FEVD. XIX. vsque XXIV. II. FEVD. XXVII. XXXIV. XL. LII. sequ.
- (b) I. FEVD. VI. II. FEVD. VI.
- (c) II. FEVD. XXIV. §. II. verb. *praedictis* &c. II. FEVD. XXXIII. §. I. LIX. §. II.
- (d) De singulis quae notatu digna sunt, congefferunt scriptores historiae juris feudalis, quorundam, cuius ea penitus nosse interest, remitto. BVRCH. GOTTH. STRUVIUS in *Hist. jur. Cap. IXX. §. XIII.* sequ. CHRIST. THOMA in *sel. capit. hist. jur. feud.* CHRIST. HENR. SENCKENBERG in *prodrom. jur. feud. Cap. IV. & in prim. lin. jur. feud. Cap. IV.* FRID. CARL. BVRI in *der Erläut. des deutsch. LehnR. Part. I. pag. 140.* sequ. Quibus addi potest RVS DORFF in *Vind. caus. Palat. Cap. XXI. & XXII.* Nuper admodum optimo eas instituto in *vnum collegit Clariss. SENCKENBERG in Corp. jur. feud. Germanici.*
- (e) Alter licet sentiente GOLDASTO in *Præf. Part. I. Sect. II. der Reichs-Sa-  
tungen* §. diese sc. in *fin.* & LEHMANN in *der Speierschen Chronic. Lib. V.*  
*Cap. LIX. pag. m. 513.* quos erroris commissi satis convicerunt EYBEN in *Elec.  
jur. feud. Cap. I. §. VI. & G. A. STRVV. in Syntagm. jur. feud. Cap. I. aph. VII.  
num. VI.*
- (f) Evolvas quoelso den Kaiserl. Landfrieden de anno 1548. Tit. III. §. II. vbi verba:  
was hierin das LehnRecht vermag und gebräuchlich ist. CAPITVL. LEOPOLD.  
ART. IV. den Reichs-Constitutionen und LehnRechten gemäß. ART. XXXIX.  
wenn er sich, denen LehnRechten gemäß, dazu qualificaret. RECESS. IMP. de  
anno 1567. §. XXX. vbi vox juris Langobardici *feloma* occurrit. ORDIN.  
denique CAM. Part. I. Tit. XIII. §. I. Tn. LXVII. RECESS. IMP. de anno  
1554. §. 105. Reichs HoffR. Ordnung. Tit. I. §. XV. in quibus illistribus sum-  
morum imperii tribunalium assessoribus injungitur, vt secundum jura imperii  
communia nach des Reichs gemeinen Rechten, per quae jus Canonicum, Roma-  
num, Langobardicum in digitari, jureconsultorum tantum nou omnium five erro-  
nea five vera est opinio, de litibus obvenientibus dicant sententiam.
- (g) Id ipsum ex iis, quas jamjam citavi, summorum imperii tribunalium ordinatio-  
nibus luculenter satis appetat, quibus, deficitibus denum legibus & confue-  
stitudinibus domesticis, juri communis decidendi vis tribuitur. Imo etiam si ex illis  
de subsidiaria hac juris feudalies Langobardici receptione non satis constaret, quid  
quaeso indignius, & antiquae Germanorum, libertatis suae ac morum adeo te-  
nacium, indoli minus congruum dici aut excogitari possit, quam eos, repudiatis  
ac profligatis legibus suis ac consuetudinibus domesticis, peregrina adscivisse  
jura, ne institutis quidem suis satis & omni ex parte convenientia? Certe febri-  
citantis esset, ita sentire, & tamen jureconsultorum Germanicorum, ab hac nostra  
aetate non ita longe remotorum, si quae de jure feudali dederunt scripta, re-  
sponsa, consta, sententias, legeris, vix aliam eis sententiam sedisse, judicare po-  
teris. Compara cum his dicenda ad DISTINCT. IV. buj. Cap.
- (h) Optime ita rationes subduxerunt inter alios SCHILTER. in *Comment. ad jas  
feud. Alem. Cap. XI. §. V. & in Diff. de invest. princip. simultanea. Cap. III. §. III.*

LVDOVICI im Lebens Process. Cap. XIII. §. X. sequ. HORN. in jurisprudent. feud. Cap. I. §. XXXI. sequ. item in Diss. de praerogativa morum Germaniae in concursu cum legibus receptis. §. XIII. sequ. Quibus addere liceat personatum illum RICCIARDVM de ANTIQVIS in lepida satis sed bona frugis plenissima Epistola qua Sinceri sententia de usu juris feudalis Langobardici in germaniae terris exponitur ac trutinatur. Et sic quidem sentiendum de jure Langobardico, non solum quatenus ex moribus & legibus Laogobardorum constat, sed etiam quatenus decreta pontificum & principia juris Romani continentur. Sicut enim ipsum jus canonicum & romanum nos non obligant nisi ex recepto, ita nec magis, quae ex illis decerpta, & compilationi juris Langobardici inserta sunt. Sed quid de constitutionibus Imperatoris juri feudali Langobardico inspersis dicendum erit? Communis quidem adhuc omniumque fere calculo approbata fuit sententia, eas, quoniam ab Imperatoribus Germanicis profectae, & maximam partem in campis Rotcaliis praesentibus & approbantibus Germaniae principibus latae sint, indolem habere juris feudalis vere Germanici, ideoque instar aliarum legum Germanicarum feudalium nos obligare, nisi posteriori legi vel consuetudine sint abrogatae. VVLT E J. de feud. Lib. I. Cap. I. num. V. STRVV. Synt. jur. feud. Cap. I. apb. VII. num. I. STRYCK. Exam. juris feud. Cap. I. Qu. XIII. HORN. jurispr. feud. Cap. I. §. XXV. SENCKENBERG in prodrom. jur. feud. Cap. IV. §. II. & IV. nec non in primis lin. jur. feud. Cap. IV. §. LXX. sequ. At vero communem hunc errorem profligare, constitutionesque hae, quod solis duntaxat Italiam latae non majorem quam ipsum jus feudale Langobardicum nos obligandi vim habeant, defendere aggressi sunt. SPENER im teutschen jure publ. Lib. I. Cap. XII. §. IIX. not. a. & Lib. II. Cap. IX. §. IV. not. d. & e. IDEM in Diss. de felonie ad Stat. Imp. communiter adplic. §. XIV. Perilliustr. a BVNAV in Exam. Diss. Bucholtz. Cap. I. §. III. BVRI in Erl. des teutsch. LehnX. Parr. I. pag. 113. sequ. a LVDEVVIG. in Praefat. ad jur. feudor. Tom. I. §. IX. not. 12. Quæstio haec altioris est in-daginis, quam ut pro eo ac decet hic illam determinare locus sit. Pleniorum tamen ejus excusione curatiusque examen cum Deo & die a me exspecta. Hoc praeterea probe notes velim, quae de praerogativa juri feudali Germanico, etiam antiquiori, praे jure Langobardico in foris Germaniae tribuenda monui, recte se omnino habere in thesi, & si veritatem species theoreticam, quicquid etiam in contrarium magno quidem molitum sed irrito conatu afferre annis sit STEPH. EPH. HARPPRECHT in Tract. de Speculi Suevici & praesertim juris feudal. Alemann. in foro vicariatus Suevo - Franconico - Palatini non usu moderno; Sed aliter saepe in hypothesi sive in applicatione ad curias provinciarum Germaniae feudales. Excipienda enim a regula sunt illa loca, vbi jus domesticum antiquius expresse, consilio ac voluntate statuum provincialium, est abrogatum, & juris Langobardici observantia deficiente jure statutorio injuncta. Hic namque illi, qui in jure Langobardico in subsidium se fundat, fundata intentio utique est attribuenda, nec ulla juris Germanici antiqui vel scripti vel non scripti auctoritas temere fingenda. In horum locorum numero sunt Marchia, Ducatus

catus item Brunsicensis & Luneburgicus, testantibus RHETIO in Comment.  
ad jus feud. Proem. num. LI. ENGELBRECHT de genuinis decisionum juris  
fontibus in terris Bruns. Luneb. §. XIIX. MASCOV. in notitia jur. & judic.  
Bruns. Luneb. p. m. 14. sequ. quamvis subdubitet SENCKENBERG de feud.  
Bruns. & Luneb. Cap. I. §. IV.

- (i) Veluti I. FEVD. X. II. FEVD. XXII. XXXIX. §. non est LIIX. §. I. & II.  
Adiigitur PAVLVM VVARNEFRIDVM seu DIACONVM de gesie  
Langobardorum. JOH. FRID. CHRISTII origines Langobardicas, & qui  
Legum Langobardicarum post BASIL. JOH. HEROLDVM & FRID.  
LINDENBROGIUM collectiones nobis dederunt LVD. ANT. MVRAT  
TORIVM in splendidissimo illo ac superbo opere scriptorum rerum Italica-  
rum Tom. I. Part. II. & PETRVM GEORGISCH in Corp. jur. Germ. an-  
tiqua. pag. 913. sequ.
- (k) Plenius de hisce substdiis egit, singulorumque optimae notae scriptores larga ma-  
nu suppeditavit Clariss. SENCKENBERGIVS in Prodrom. jur. feudal. Cap. I.  
& II. Sed haec quidem quam parum a plebe interpretum juris feudalis obser-  
vari soleant, testantur scripta jureconsultorum germanicorum, in primis veterum,  
qui, genuinorum fontium ignari, saepe jus domesticum ex peregrino explicarunt,  
& cum adeo rationem juris domestici non potuerunt non ignorare, etiam quoad  
applicationem ejus instituendam in devia abierunt, album nigro, aequa rotun-  
dis, domestica peregrinis miscuerunt, sieque jurisprudentiam feudalem germani-  
cam incertam, confusam, turbatam reddiderunt, ejus non animam, non corpus,  
sed cadaver, sed sceletum, sed spectrum exhibentes. Plura de hisce naevis da-  
bunt Illust. a LVDEVVIG in praefat. de fatis Germ. feud. Ej. Tr. de jure  
clientel. praemissa, & in praefat. de Germanici, Romani, ac Langobardici juris dif-  
ferentiis Tomo I. operis de juribus feudorum praefixa. IDEM von den Mängeln  
des teutschen LehnRechts, in den kleinen teutschen Schriften, & in Comment. ad  
Aur. Bull. Tom. II. pag. 1493. sequ. JAC. CARL. SPENER in observat. hist.  
feudal. obs. II. & qui historiam disciplinae juris feudalis nobis tradiderunt au-  
ias Holsatiae decus Illust. Cancell. de VVESTPHALEN in Meditatione  
Pragmatica de fatis atque usu studii juris feudalis in Germania. SENCKEN-  
BERG loc. cit. Cap. V. & in prin. lin. jur. feudal. Cap. III.
- (l) Id quod invictis rerum argumentis probatum dederunt JVST. EPH. VVIL-  
LERDING in Diff. inaug. de incongrua applicatione juris Langobardici ad feu-  
da Germaniae. Per ill. a BVNAV in Exam. Diff. Bucholtz. Cap. I. JAC.  
CARL. SPENER in jur. publ. Lib. I. Cap. XII. §. IIX. & Lib. II. Cap. IX. §. IV.  
sequ. nec non in Diff. sub rubr. Exam. doct. Longob. de felonie ad status imperii  
communiter applicatae. GEBH. CHRIST. BASTINELLER in Diff. de  
praejudicio principum ex abusi Langobardici, & quotquot saniora sequuntur prin-  
cipia noviores juris publici interpretes, quibus  
de meliori luto sinxit praecordia Titan.
- (m) Non injustae igitur in plerisque Germaniae locis sunt vasallorum querelae de in-  
congrua juris feudalis Langobardie, sproto & concultato jure doméstico, appli-  
catione.

catione. Exempli loco nobis sufficient gravamina Saxonum Silesiorumque, quae exhibent a LVDVVIG in Germ. princip. Lib. III. Cap. V. §. X. not. 6. & in Com. ad Aur. Bull. Tom. II. p. 1471. SPENER in observat. hist. feud. obs. II. §. III. not. k. BETSIVS de paci illustr. famil. Cap. IX. §. XLII. & Cap. X. §. XLI. Junge his SCHOTTEL. de singul. Germ. jurib. Cap. IV. & V. THVMMERMVTH in Tr. Krumstab schleust niemand aus. fundam. i. n. 95. p. m. 21.

- (n) Ita enim in ORDINAT. POLIT. de anno 1572. Tit. von Erbschäften, constitutum legitur; So viel aber die Lehn-Güter belanget, damit soll es nach dem beschriebenen LehnRechte, und beständigen Gewohnheiten uner Fürstenthume gehalten werden. Confer ORDINAT. DICAST. PROVINCIAL. de anno 1622. Part. I. Tit. IV. §. Es soll der Landrichter. Tit. XV. & XVI. item Gusfrauische Canzleyordnung de anno 1609. Part. I. Tit. I. §. I. Tit. III. §. III. quibus illustribus horum judiciorum alesforibus ea judicandi norma praescribitur, ut deficiente Lege ac consuetudine provinciali, privilegiis item singularibus, ex jure scripto communi imperii quis den gemeinen beschriebenen KaiserRechten decisionem petant; Per jus commune vero imperii stylo curiarum consueto jus etiam feudale Langobardicum denotari, jam ad notam f. buj. Dif. monui.
- (o) Testes produco B. ERNEST. COTHMANNVM terrae nostrae Papiniannum in Consil. Vol. I. Resp. XXVI. num. 223. sequ. Illustr. Cancellarium de KLEIN in not. ad Lauterb. praef. verb. in alius. TORNOV. de feud. Mecklenb. Part. I. p. 153. sequ. STRYCK. in Vs. mod. ff. Dif. prael. §. XXIX. sequ. Adde de vicina Pomerania testimonium perhibentem B. PHIL. BALTH. GERDES. in Diff. de norma & ordinandi judicandi controversias feudales in Germania & Pomerania. Nec tamen in his nostris oris desunt vasallorum querelae de juris feudalis Langobardici vnu nimio & incongruo. Legas quoefo quae eam ob causam multis conquesitus est illustris nobilium ordo in libello gravaminum appellationis, ob constitutionem feudalem, a SERENISSIMO DVCE REGNANTE die 28. Julii 1717. publicatam, ad Sacram Caesaream Majestatem delatae, qui insertus est ELECTIS JVR. PVBL. Tom. XIX. num. XIII. cuiusque extractum nuper dedit LEBR. GVIL. HENR. HEYDENREICH in Tr. de alienat. feud. quae fit absque domini directi, agnatorum & similit. investit. consensu Cap. IV. §. VI.

### DISTINCTIO III.

*Inter Capitula juris feudalis Langobardici ordinaria & extraordinaria.*

Jus feudale Langobardicum constat ex capitulis ordinariis & extraordianariis. Ordinaria dicuntur, quae a Gerhardo Nigro, & Oberotto de Orto, vt vulgo traditur, vel quod rectius omnino videtur (a) ab

ab incerto autore ex Schedis Gerardi Nigri, & Oberti de orto, collecta, ab Hugolino Jcto Bononiensi corpori juris civilis adjecta, & ejus pariter ac ceterorum Italiae jureconsultorum, quos Glossatores appellare solemus, Bulgari nimirum, Pylaci, aliorumque, in primis Jac. Columbini, notis illustrata sunt. Extraordinaria audiunt, quae ab incertis Auctoriibus congetta, ab Ardizone & Alvarotto Jctis primo in lucem producta, a Cujacio vero postea restituta, & corpori juris civilis addita sunt. Illa habes a I. FEVD. I. vsque ad II. FEVD. LIIIX. inclus. Haec a II. FEVD. LXIII. vsque ad CIX. inclus. Vsum distinctionis probat haud leve discrimen, quod, quantum ad auctoritatem in foro, inter utraque capitula intercedit. Ordinaria enim in decidendis controversiis feudalibus, positis terminis habilibus in proxima distinctione praescriptis, plenam habent auctoritatem, ita ut textus illorum tanquam authentici allegari possint, scriptique juris instar nulla probatione indigeant. Extraordinaria vero, si cum ordinariis pugnant (b) omni prorsus carent auctoritate; si ad illustrationem ordinariorum faciunt, vel casum, in illis non decisum, secundum analogiam ordinariorum determinant (c) allegari demum possunt. Brevibus: ordinariorum usus est legalis, extraordinariorum solummodo doctrinalis. Ratio hujus differentiae ex historia receptionis juris feudalis Langobardici petenda est. Constat enim ex ea, jus hoc non alia ex causa, quam quia corpori juris civilis Romani tempore Friderici II. Imperatoris ab Hugolino adsutum, vna cum illo in academias & fora Germanorum penetrasse. Quicquid ejus igitur tempore receptionis nec in ipsa Italia obtinuit, nec corpori juris civilis adiectum, nec, quod nota characteristica utriusque est, glossis veterum jureconsultorum, illustratum fuit, illud nec apud nos receptum est: vnde πολυτρούλητον istud: quicquid non agnoscit glossa, illud nec agnoscit curia. Jam vero cum haec omnia ordinariis capitulis, non vero extraordinariis, quippe quae nec eo tempore collecta, nec glossis ornata, sed a Cujacio demum corpori juris civilis addita sunt, convenient, quid quæso! certius est, quam illis quidem per receptionem legis vim tributam, haec vero illa omnino esse destituta. (d)

(a) Ob testimonium praesertim ODOFREDI ad Auth. Cassam. C. de SS. eccles. Videsis SCHILT. in praefat. ad Mincuccium. §. IV. & in Instit. jur. feud. Cap. I. §. IV. COCCEJ. in hypomnem. jur. feud. Tit. I. §. X. THOMAS.

MAS. in select. cap. bift. jur. feud. §. LXV. STRVV. in jurispr. feud.  
Cap. III. §. VII.  
(b) e. g. II. FEVD. IX. cum II. FEVD. LXXIII.  
(c) e. c. II. FEVD. CIV.  
(d) Idem scilicet de extraordinariis capitulis in historia juris feudal is dicendum est,  
quod de Legibus Digestis & Codici a novioribus jureconsultis e. g. Ant. Augu-  
stino, Contio, Cujacio, aliisque, ex Basilicis maxime, inspersis, Novellis Justini-  
iani non glossatis, edictis item Justiniani, Novellis Leonis, ceterisque corpori  
quidem juris civilis Romani hodie additis, sed in foro tamen auctoritate desti-  
tutis a scriptoribus historiae juris Romani moneri afolet. Consule GOTTFR.  
LVDER. MENCK. Diff. de novellarum glossat. & non glossat. auctoritate juris.  
CASP. ACH. BECK. de Novellis Leonis, earumque auctoritate. Miraberis  
igitur, nec immerito, adeo vagas ac diversas de vsu forensi capitulorum extra-  
ordinariorum Doctorum sententias. CVJACIVS quippe in Comment. ad. II.  
Feud. LXXIII. FINCKELTHAVS. in controv. feudal. Diff. I. controv. XVI.  
BVRI in der Erläut. des teutsch. Lehrb. Part. I. p. 138. sequ. eandem ipsis quam  
ordinariis legalem auctoritatem tribuunt, sed argumentis admodum siculneis ju-  
stoque pondere destitutis stipati. TITIVS contra im teutschen Lehrb. Cap.  
III. §. 19. omnem illis vsum etiam doctrinalem denegat, sed nulla plane ratione  
sententiam hanc suam firmat. Media igitur via sicut omni fere casu, ita etiam hoc  
nostro tutissimum ibis, comites habens summae auctoritatis viros, MAVRI-  
TIVM in pos. feudal. Dec. I. pos. X. SCHILTERVM in locc. not. a. ci-  
tat. priori §. VII. posteriori §. VII. STRVVIVM in Syntagn. jur. feud. Cap. I.  
spb. VII. num. X. STRYCKIVM in Exam. jur. feud. Cap. I. quæst. XXII.  
LVDOVICI in Colleg. jur. feud. Diff. II. th. XX. alios.

#### DISTINCTIO IV.

*Inter jus feudale Germanicum generale, speciale, &  
specialissimum.*

Jus feudale Germanicum generale sive commune illud vocatur,  
quod per totam Germaniam vim obligandi & auctoritatem habet,  
idque vel quia ex potestate legislatoria profectum, quo pertinent le-  
ges ac consuetudines Germaniae universales cum antiquae tum re-  
centiores (a) vel quia receptum est, quo sensu ipsum jus Longobard-  
icum dici potest jus feudale Germanicum generale. Certo respectu  
etiam jus feudale Saxonicum & Alemannicum in hunc censem ve-  
nit. Jus feudale Germanicum speciale dicitur, quod in certa solum  
regione vel provincia obtinet, quorsum referenda leges ac statuta  
provin-

provincialia, consuetudines item provinciales (b) Jus denique specialissimum est, quod in certo aliquo loco, vel curiae domini, vel rei sitae, vel contractus, observatur, nec non illud, quod per litteras investiturae, pacta familiae, testamenta, intuitu hujus vel illius feudi constitutum est. Usus hujus distinctionis sese exserit in ordine, qui in applicatione jurium diversi generis ad facta feudalia obvenientia magna cura adhibendus est, si decisio rite fieri, omnisque confusio exulare debeat. Sic omnium primo, post literas investiturae, pacta & testamenta, considerandum venit jus specialissimum, a quo ad speciale, & tum demum ad generale s. commune progrediendum est, secundum effatum PAPINIANI in L. 80. ff. de R. I. & tritum illud: StadtRecht bricht LandRecht, LandRecht bricht Kaiserlich Recht. (c) Liceat mihi jam per applicationem ad feuda tam imperii quam provincialia rem illustriorem reddere. Si de feudo imperii controversia oritur, inspicienda sunt ante omnia litterae investiturae, pacta familiae, testamenta justo labore non destituta; deinde in subfeudis imperii jus, vel curiae domini, vel rei sitae; post constitutiones imperii feudales & observantia imperialis; porro jus Germanicum antiquius pro renata vel Saxonum vel Alemannicum vel Francicum vel Boicum; denique jus feudale Langobardicum, si in hisce duabus posterioribus aliquid est, quod salva hodierna feudorum imperii indole applicationem ad ea admittit. (d) Intuitu feudorum provincialium longior paullo via ingredienda. Si enim de illis lis movetur, attendendae sunt primo litterae investiturae, pacta familiae, testamenta, quatenus circa feuda vi quadam gaudent. Tum ad jus statutarium vel consuetudinem loci, vbi vel curia domini, vel feudum situm, vel contractus super feudo celebratus est, deveniendum. Ab his de statuta provincialia & consuetudines progrediendum. His quoque deficientibus ad jura magis generalia e. g. jus Saxonum & Suevicum, caeterasque leges ac mores antiquos Germanorum, ex historia & monumentis antiquis, diplomatisque probandos, pes promovendus. (e) Deinde constitutiones & consuetudines imperii universales consulendae, an in his sit, quod ad feuda etiam Landschaftica applicationem patiatur. Tandem jus feudale commune Langobardicum attendendum. (f) In Megapoli nostra idem ille ordo in decidendis controversiis circa feuda ortis, vt scilicet excussis omnibus iuribus, tam speciali-

cialissimis, quam specialibus & generalibus domesticis, tandem ad jus Langobardicum deveniatur, clare satis in ordinationibus provincialibus est praescriptus. (g)

- (a) e. g. Aurea Bulla, Recessus Imperii, Capitulationes Caesareae, et. observantia imperialis, & mores denique antiqui, in Germania semper ac vniuersum circa feuda observati, quorum notitiam suppeditant historia, antiquitates, monumenta vetera, chartae, diplomata, de quibus in lucem protrahendis felicissimo admundum jurisprudentiae feudalies Germanicae fate, quotquot supra vulgus sapiunt, hodie quasi certant.
- (b) e. g. in nostra Megapoli Reversales, Resolutiones ad gravamina, ordinatio politica &c. de quibus singulis pluribus egit B. TORN OV. de feud. Mecklenb. in Praef. & Cap. II. Sect. I.
- (c) Ex instituto, sed an felici satis Minerva, alii judicent, hanc materiam pertractandam sibi sumvit JOH. CHR. THEOD. HELLBACH in via juris feudalis adumbrata.
- (d) Digna sunt verba der Reichs-Hofstaats-Ordnung Tit. V. §. I. in fin. quae hic excrribantur: Also ist es auch in Lehns-Strittigkeiten zu halten, jedoch daß in deren Relation vornehmlich die originales investiture, und was für pacta darinn ausdrücklich begriffen, wohl erwogen, und dann gegen Unsere Klaren Lehn-Rechten, denn allegirten aber nicht zu recht probirten Lehn-Gebräuchen, sonderlich in Unsere Kaysertl. Welschen Lehens-Fälligkeiten nicht zu viel in Relatione, noch De cessione deferirt werden. Quippe ex quibus clare satis elucescit, primum in decidendis causis feudalibus momentum esse litteris investiturae, quaeque per eas firmantur, pactis specialissimis; Deinde nec consuetudinibus feudalibus specialibus suam deesse auctoritatem, modo, si contra jus commune allegentur, rite satis probentur. Quibus omnibus deficienibus denum juri scripto feudalium communia in decisione causarum feudalium sua constet vis auctoritasque. Gemina his sunt quae Tit. I. §. XV. leguntur verba: So dann zu fordernst unsre Kdm. Kaysertl. Wahl-Capitulation, Reichs-Abschied, Religion- und Prophan-Frieden, und dem jüngsten Münster- und Osnabrückischen Frieden-Schlüß, nach Ausweitung des 17. Art. §. 1. & 2. wie auch jedes Standes, Lands, Orts, und Gerichts, sonderlich die gehörliche allegirte und probirte Privilegia, gute Ordnungen und Gewohnheiten, und in Mangel derselben die Kaysertlichen Rechte und rechtmäßige observationes und Gebräuch in acht nehmen w. quae sicut in genere circa decisionem causarum cuiuscunque generis obvenientium praescripta sunt, ita & in specie circa feudales erunt observanda. Idem judicium esto de textibus der Cammergerichts-Ordnung und des Reichs-Abschiedes anno 1654. ad DISTINCT. II. not. f. & g. ciatatis, eadem decidendi normam, mutatis licet paulo verbis, praecipientibus. Conferatur denique VFFENBACH. de judic. Imp. aul. Cap. XVI. pag. 237. ITTER de feud. imper. Cap. II. §. VII. seqn.

(e) lis

- (e) Iis scilicet in locis, vbi haec non specialiter & expresse abrogata atque extincta sunt, vti quidem de Marchia, Ducatu Brunsvicensi & Luneburgico, Megapoli item nostra affirmavi ad DISTINCT. II. buj. Cap. not. b. n. & o.
- (f) Pluribus haec exposuerunt, modo ipsi satis observaverint, nec ubique fere nimis um juris Langobardici amorem prae se tulerint ROSENTHAL. de feud. Cap. I. concl. XII. sequ. MYSING. Cent. V. obs. LXXVI. STRVV. in Syntagma jur. feud. Cap. I. aph. XI. sequ. HORN. im Lehns-Process. Cap. XIII. §. VII. sequ. Quibus ex recentioribus jungere poteris BVRI in der Erläut. des deutsch. LehnR. Part. I. pag. 202. sequ. JOH. AD. KOPP. in dem Vorbericht zu der ersten Probe des deutsch. LehnR. §. IIX.
- (g) Loca ipsa, hoc probantia, indicavi ad DISTINCT. II. praeced. not. n. Vnius solum extantioris ipsa verba hic transcribere non abs re erit. Ita enim in ORDINAT. DICAST. PROVINCIAL. Part. I. Tit. IV. dispositum legitur. Es soll der Landrichter - nach des H. R. R. gemeinen Rechten, Abscheiden, und unser Fürstenthumben und Lande ehrbahren Ordnungen, Statuten, und redlichen vernünftigen Gewohnheiten, auch gemeinen und sonderbahren unserer Vorfahren, und unserer gegebenen privilegiis und Begradiungen (so ihnen vorgebracht werden möchten) vorwieg und nach Ausweisung ihres Eydes referiren, correferiren, votire, und sprethen. En jus communie, speciale, & specialissimum, quod sicut semper, ita & in decisione controversiarum feudalium primo, secundo, vltimo loco attendendum erit. Autoritatem doctorum domesticorum si desideras, lege COTHMANN. Vol. I. Resp. XXVI. num. 228. TORNOV. de feud. Mecklenb. Part. I. pag. 127. §. V. & pag. 153. sequ. ENGELBRECHT. de singul. feud. Meckl. juribus Sect. II. §. VI. & VII. AVTOREM secundæ editionis der Blüwerischen Beschreibung des Herzogthums Mecklenburg. Part. II. Adp. III. Nec argumentum ex vicina Pomerania deest. Adi modo MEV. Consil. XLIV. num. 18. sequ. & nam. 75. sequ. PHIL. BALTH. GERDES. Diff. de norma & ordine judicandi controversias feudales in Germania & Pomerania. Respice etiam ad ea, quae monni in DISTINCT. II. buj. Cap. circa fin.

## DISTINCTIO V.

*Inter jus curiae domini, loci rei sitae, & loci contractus.*

Intuitu iurium feudalium specialissimorum non infrequens obvenit casus, aliud jus obtinere in curia domini, aliud in regione, vbi feudum situm, aliud denique in loco, vbi contractus super feudo celebratus. Lite igitur circa feudum orta, simul nascitur primaria ac praejudicialis quaestio, vtrum ex diversis hisce iuribus pro norma decidenda litis accipiendum sit? Et hoc quidem est, in quo usus distinctionis nostrae manifeste sese prodit. Consideranda enim erit

qualitas subortae litis, & ex ea judicium ferendum, an secundum jura curiae domini, an loci rei sitae, an vero loci contractus illa sit determinanda. Ex triplici autem potissimum causâ controversia de feudo agitari solet. Vel enim haec ipsam rem feudalem concernit, puta, si ex jure in re ipsum feudum afficiente oritur; vel super contractu circa feudum inito, vt tali, e. g. de adhibitis solennitatibus, indeque dependente ejus validitate, movetur; vel denique de neutro horum volvitur, sed personalem tantum actionem contra vasallum institutam, pro fundamento habet. Priori casu secundum jura loci rei sitae, altero loci contractus, tertio curiae domini erit pronuntiandum. (a) Habis hic rationem, cur in applicatione ad feuda imperii, non semper jus commune in curia Imperiali receptum vel observatum, in decidendis quaestioneibus feudalibus attendendum sit, sed juris potius specialis illius provinciae, in qua feudum situm, primaria ratio habenda. (b) Frequentiorem tamen ac praecipuam, quae dixi, ad feuda provincialia, in primis extra curtem sita, (c) applicationem patiuntur. Nec ex jure nostro domestico Megapolitano exempla usum hujus distinctionis probantia desunt. Sic filiabus vasalli extra Megapolin domicilium habentis, jus usufructuarium das Erbjungfer Recht in feudis in Megapoli sitis vi juriu loci rei sitae non denegandum. (d) Eandem ob rationem feuda nova in Megapoli ab alibi habitantibus per emtionem acquisita, naturam habent feudorum antiquorum, hoc effectu, vt fratres fratribusque filii primi acquirentis sine pacto speciali ex solo jure in loco rei sitae recepto successionis sint capaces (e).

(a) Et ita quidem de regula, quam per argumenta ex jure civili desumpta, *Legis*, scilicet, 3. C. de ædific. privat. L. 13. §. 1. ff. *commun. prædict.* L. 6. ff. de evict. firmare solent juris feudalis interpretes. Addunt tamen exceptionem, nisi specialiter statutum vel conventum sit, vt cujuscunque generis circa feudum controversiae exortae semper ex praescripto juris in curia domini usitati deciduntur. Vide ROSENTHAL. de feud. Cap. I. concl. XIV. STRVV. Synt. jur. feud. Cap. I. apb. XII. HORN. jurispr. feud. Cap. I. §. XXXIX. LVDOVICI Lehns-Proces. Cap. XIII. §. IX. ceteros ab his laudatos. At, si dicendum, quod res est, vulgaris haec doctorum doctrina magis ex incongrua juris civilis ad feuda applicatione nata, quam juri feudali Germanico & antiquae apud maiores nostros observantiae conformis videtur. Secundum hanc enim omnes fere ac singulae de feudis subortae lites, deficientibus pactis & observantias particularibus, ex iuribus & consuetudinibus regionis, vbi feuda sita, solebant determinari. Id quod non obscurè inter alia probat JVS FEVD. ALEM. Cap. LXIX. §. fin. ex edit. Schilteri,

Schilter, recteque propterea monterint Clariss. SENCKENBERG. in pro-  
drom. jur. feud. Adp. IV. ad num. XVI. p. 150. FRID. a SANDE in Com-  
mentar. ad consuet. feud. Geldr. Tract. I. Tit. III. §. 7. num. LVI. Confer Acta inter  
domum Saxonicum & Truchsessios de VVetzhausen ap. B. de LVDOLPH. in  
Symphor. consult. & Decis. foren. Tom. II. Part. II. num. I. Adfunt tamen pa-  
etorum exempla, quibus ut feudum secundum jus curiae domini conserti debcat,  
vasallum inter & dominum expresse conventum. Sic Guilielmus de S. Claro,  
nobilis Scotus, ab Erico II. Danie ac Norvégiae Rege ad comitis dignitatem  
evectus, se feudi clientelae jure Regi ac Regno Norvagiae addictum confessus  
est, hoc addito: *Regem ut iudicem iri agnatum, idque secundam leges ac jura Nor-  
vagiae, referente PONTANO in Hist. Dan. Lib. IX. ad ann. 1434.* Simili-  
modo Otto dominus de Luyck & de Hervorde, allodium suum oppidum Graviae,  
Johanni Lotharingiae, Brabantiae & Limburgi duci in feudum oblatum recepit  
haec formula: *in feudum rectum jure Brabantino ab ipso ejusque post ipsum heredi-  
bus ac successoribus hereditarie tenendum*, teste eodem PONTANO in Hist.  
Geldr. Lib. VI. ad ann. 1322. Litteras investiturae ipsas exhibet Cph. BVT-  
CKENS dans les preuves du livre IV. des trophées de Brabant. pag. 157. Eun-  
dem effectione tribuendum esse puto clausulis in litteris investiturae adeo solen-  
nibus: Nach Fuldischen Lehnrecht und Gewohnheit. SCHANNAT in Clientel.  
Fuldens. Part. I. Cap. II. §. V. pag. m. 7. ESTOR in Annal. Fuldens. p. m. 6.  
Item nach Clevischen, Zutphanischen, Lehnrecht und Gewohnheit. FRID. a SAN-  
DE in Comment. ad consuet. Geldr. Tract. I. Cap. I. num. 27. 30. ANT. MAT-  
THAEI in annal. ver. aevi. pag. 298. & 30. JOH. FRID. RHETII Diff.  
de feudis Cliviens. & Zutphan. more concess. & quae id genus aliae in medii aevi  
monumentis chartisque vbique fere obviae sunt. Nihil videlicet aliud domini  
directi, sub hisce clausulis feuda conferentes, innuere videntur, quam feuda vbique  
cunque locorum sita secundum jura curiae domini esse dijudicanda.

(b) Cogites hic quaeſo, inter alia innumera fere exempla, de notissima illa contro-  
versia inter Kaunitzios & Lichtensteinos de comitatu Rietbergensi olim agita-  
ta, quae occasionem dedit scripto illi APPRECHTIANO de ſpeciali Suevici  
& praef. jur. feud. Alem. in foris Vicar. Suevo. Franc. Pol. non uſu moderno, &  
quae hodie totam pene Europam suspensam tenet, illuſtris illa de ſucceſſione in  
Ducatus Juliacensem & Montensem diſceptatio, cuius per ſecula jam tractae con-  
tentioſis ferrae historiam omnium curatissime recenſet MR. ROVSSET dans  
*Histoire de la ſucceſſion aux Duchez de Cleves, Berg & Juliers.* Amſt. 1738. &  
AVTOR anonymous des Historischen Schanplatz aller Rechts-Ansprüche auf Jü-  
lich, Cleve, Berg re. Cuius jam editio ſecunda ipſo hoc anno prodiit. Si ſubfeu-  
dorum praeterea imperii, feudorumque Italicorum, quorum haec non tam ſe-  
condum jura feudalia Germanica, quam potius Langobardica dijudicanda ſunt,  
rationem habueris, res adhuc fiet clarior.

(c) De his plura ex instituto dicenda erunt ad CAP. III. DISTINCT. XIII.

(d) Ob textum expressum REVERSAL. de anno 1621. §. XXVII. cuius verba haec  
ſunt: Endlich wollea wir, da einer unſer Lehenleute, der nicht in unſer Fürſtenthu-  
men

men und Landen häuslich gesessen, ohne männliche Leibes-Lehns-Erben todes verfahren, und allein Tochter hinter ihm verlassen solte, daß dieselbige weniger nicht, als wann der Vater unter unser Bothmächtigkeit sein Domicilium und stetiges Umwesen gehabt, obberührtes Privilegii fähig seyn, nützen und genießen sollen und mögen. Id quod pluribus confirmant Doctores domestici THOMING. Vol. I. Cens. IV. num. V. Generos. Dn. de LANZOVV. in Diss. sub praef. B. MULLERI habita de virg. nobil. Meckl. ejusque circa feudum jure Cap. I. § IX. num. LV. TORNOV. de feud. Megapol. Part. I. pag. 217. Celeherr. MANTZEL, in Diss. de filia nobil. vſufr. Meckl. pos. XIII. De ipso jure vſufructuario infra dicendi locus erit ad CAP. XV. DISTINCT. IV.

(e) Liceat mihi hic provocare ad ita dictum PROJECTVM des Mecklenb. Lehn-Rechts a B. TORNOVIO libro de feud. Megapol. praefixum, cujas TIT. X. ART. XXII. verba haec sunt: Und soll solches also gehalten werden, wenn gleich der Käufer kein Einheimischer, sondern ein Ausländischer ist, und alhie in unsern Fürstenthümern und Landen ein EchenGut kauffen, und sich uns mit Lehnspflichten verwandt machen würde. Quamvis enim probe sciam, eum auctoritate legali destitui, imo a Serenissimo Duce F R I D E R. WILHELM O glor. mem. per edictum de anno 1704. die 4. Decembris, allegationem illius sub poena prohibitum esse, ad illustrandam tamen & firmandam doctrinam juri communis & domestico provinciali consonam illius testimonia adhibere, mihi reliquorum doctorum domesticorum exemplum imitanti, jus potestasque erit. Rem ipsam pluribus expressus sum ad Cap. II. Distinct. III.

### DISTINCTIO VI.

#### *Inter jus feudale scriptum & non scriptum.*

Divisionem juris in scriptum & non scriptum, ejusque naturam ac usum ex jure civili jam satis nota esse pro certo pono. (a) Mihi hic tantum in applicatione hujus distinctionis ad jus feudale versandum erit. Hanc vero locum habere, qui dubitet, haud equidem credo, fore quemquam. Jus enim feudale non primos solum natales suos consuetudini populi primi feudorum auctoris debere, sed hodie quoque moribus magis locorum inveteratis, quam legibus a summa potestate expresse promulgatis, constare, ex historia & ipsa quotidiana experientia abunde liquet, (b) vt adeo distinctio haec nostra, si ullius, certe juris feudalnis indoli, apprime sit conveniens. Est igitur jus feudale scriptum, quod a summa potestate expresse constitutum & promulgatum; non scriptum, quod per consuetudinem, tacito summae potestatis consensu accedente, introductum est.

Vtrum-

Vtrumque in Germania nostra est vel universale vel particulare. (c)  
 Constante jam veritate distinctionis nostrae vsus statim claret. Is sci-  
 licet hic est. Qui pro se allegat jus feudale scriptum, fundatam, ut  
 Doctores loquuntur, habet intentionem, nec probatione juris sui  
 gravandus est; qui vero in consuetudine feudali se fundat, illam pro-  
 bare, auctoritatemque ejus evincere tenetur. Adde tamen vulgatam  
 illam exceptionem, nisi consuetudo feudalis sit notoria; haec enim  
 juri scripto aequipollat, ejusque adeo auctoritatem & indolem est  
 consecuta, (d) cuius luculentissimum exemplum praebet ipsum jus  
 feudale tam Langobardicum (e) quam Germanicum Saxonicum &  
 Alemannicum. (f) Quae circa feuda imperii per mores potius Ger-  
 maniae vniuersales, quam leges scriptas introducta sunt, recensent  
 scriptores juris publici de observantia imperiali. (g) Quod feuda  
 nostra Megapolitana aeri alieno, ob debita etiam allodialia contracto,  
 in subsidium obnoxia sint, plurium annorum usui inveterataeque con-  
 suetudini recte a Doctoribus domesticis (h) adscribitur. Imo tan-  
 tum non omnia feudorum Megapolitanorum singularia magis obser-  
 vantiae & immemorialis temporis consuetudini, quam juri scripto  
 originem debere, cuivis, qui vel a limine patriae nostrae jura cogno-  
 vit, certissimum est. (i)

- (a) Si quem tironem haec adhuc fugiant, is queso adeat DOCTORES ad §. 3. ♂  
*9. J. de jur. nat. gent. & civ. & ad Tit. ff. de LL. LUDOVICI Vsum praeſt.*  
*Difſ. jur. ad Tit. de LL. Difſ. I. SCHILTER Prax. jur. Rom. Ex. I. & II.*  
**TITII jus priv. R. G. Lib. I. Cap. VII.**
- (b) Quid enim aliud sibi volunt clausulæ tam medio, quam recentiore & nostro aevo  
 litteris investiturae frequentissime inseri solitæ? Nach Fuldischen, Clevischen,  
 Süßphanischen, Pfälzischen, Brauneckischen &c. LehnRecht und Gewohnheiten, de qui-  
 bus plenius agit Vir celeberrimus JOH. AD. KOPP. in der ersten ausrie-  
 senen Probe des teutschen LehnRechts. pag. 33. sequ. Certe consuetudinem &  
 feudorum & juris feudalis matrem esse, selectissimis ex historia petitis argumen-  
 tis probatum dedit ο πάντα SPENER in primit. obs. hist. feudal. obs. III.
- (c) Secundum dicta ad DIST. IV. huj. Cap.
- (d) GAIL. L. II. obs. XXXI. MYNSING. Cent. V. obs. XCVI. THOMAS.  
*Difſ. de jure consuetud. & observ. DIET. HERM. KEMMERICH. Difſ.*  
*de probat. consuet. & observ. tam priv. quam publ.*
- (e) Hoc enim ex meritis consuetudinibus & rebus judicatis privata industria collectis  
 constat, prout ex ipsa ejus inscriptione: *consuetudines feudorum, aliisque texti-*  
*bis e. g. 2. Feud. 1. §. ubertus. 2. Feud. 7. pr. 2. Feud. 9. pr. 2. Feud. 23. verb:*  
**D** *quomodo*

*Quomodo enim vasallus fatis superque appetet. Postquam tamen in foro Germaniae receptum & approbatum est, jani consuetudinis rite introductae & probatae vim habet.* SCHRADER. de feud. Part. I. Quæst. I. num. IX. sequ. STRVV. Synt. jur. feud. Cap. I. aph. VII. HORN. jurispr. feud. Cap. I. §. XXIV.

- (f) *Vtrumque maximum partem ex consuetudinibus medii aevi Germanicis privata auctoritate ab iisdem, quibus specula Saxonum & Alemannicum, auctoribus collectum est.* Lege omnino STRVII Hist. jur. Cap. LIX. §. XVI. THOMASII Sel. cap. hist. jur. feud. §. XL. sequ. Quid vero de vtriusque in foro auctoritate dicendum sit, de eo longa inter Doctores controversia. Prae ceteris causam contra specula, iisque annexa jura feudalia, peroravit HARPPRECHT in saepius jam citato Tract. de speculi Suevici & jur. feud. Alem. non usu moderno. Placet tamen, quae jureconsultos Germaniae omnino decet, eorum sententia, qui, non quidem collectionibus ipsiis, bene tamen, quae illis continentur, antiquis Germaniae consuetudinibus, tam quoad feuda imperii quam provincialis, legalem & juri Langobardico prevalentem in foro attribuunt auctoritatem. SCHILT. in praef. ad jus feud. Alem. §. II. & XIX. & in Diff. de Simult. invest. princip. imp. Cap. V. THOMAS. in sel. cap. hist. jur. feud. §. LXX. & LXXII. HORN. in jurispr. feudal. Cap. I. §. XXXI. SENCKENBERG in prodrom. jur. feud. Cap. IV. §. XI. & in prim. lin. jur. feud. Cap. IV. §. CI. Respicias tamen quae ad ea, quae motui ad DISTINCT. II. huj. Cap. not. b.
- (g) JOH. GEORG. KVLPIIS. & Ill. de GOEBEL in Diff. de observantia imperiali. IM. VVEBER in Diff. inaug. de jure S. R. I. non scripto. Certe tam in legibus imperii quam actis publicis nihil frequentius, quam ut ad mores continuos inveteratamque consuetudinem fiat provocatio, certissimo indicio, etiam in decidendis controversiis feudalibus illustribus observantiam rite probatam, primum, secundum, ultimum esse.
- (h) E quibus, qui principem inter illos locum tenet, laudare fatis erit B. ERN. COTHMANN. Vol. II. Rep. LXXV. num. XXXIV. & Vol. III. Rep. XIX. num. i. 7. & 23. Cui ad latus pono JCTum non minoris apud nos auctoritatis, insignique juris nostri domestici peritia instructum B. MEVIVM, qui pariter illud feudorum Megopolitanorum singulare consuetudini notoriae & extra controversiam postae adscribit in Consil. XCVI. num. 38.
- (i) Legas modo die von Herzog Ulrich glorw. Und. an einige seiner Ritterschaft ausschlägt Fragen und deren Antwort, einige strittige Fälle des Mecklenburgischen Lehns-Rechts betreffend, apud Clarist. GERDES. in der zweiten Samlung Mecklenb. Urkunden. Num. II. Vbi in responsionibus ad observantiam & usum provincialem saepissime provocari videbis. Testor praeterea sylbum solennem Reversalium a DVCIBVS SERENISSIMIS subinde concessorum, in quibus non jus tantum scriptum & privilegia expresse concessa, verum etiam mores antiqui consuetudinesve inclitae ordinibus provincialibus clementissime confirmantur. Attendas quae ad verba Reversalium JOHANNIS II. & ALBERTI IV. JOHANNIS item de Stargard & HARTICI, filiorum Ulrici, Ducum Mecklenbur-

lenburgicorum de anno 1421. apud GERDES. loc. cit. Part. III. num. II. p. 174.  
 Unde iwy Heren vorbenom tho Mecklenborg = scholen und willen alle dese vorbend-  
 mede Manne und Stedere = = laten und beholden by aller olden Rechtigkeit, by alleme  
 Recht unde Wanheit, dar se mebe besetet, bevert, unde bewedenet sind, unde be-  
 seden und hatt heben, van oldinges unde van anbeginn, bet tho diher gegenwardigen  
 tydt und Stunde. & paucis interjectis pag. 170. vortmehr so scholen iwy Heren van  
 Mecklenborg vorschreiben = = de erbendenmeden Bürgermeistere = = Manne,  
 Stede unde Inwanere = = by allen eren Rechten = = und allen guden ol-  
 den Wanheiten = = laten und beholden. Idem reperitur in Reversalibus  
 JOHANNIS & HENRICI, Stargardiensium, HENRICI item & JO-  
 HANNIS Venedorum, Ducum Mecklenburgicorum de anno 1436. ap. GER-  
 DES. loc. cit. pag. 180. his verbis: Und willen die vorbenomten alle de Manne,  
 Stedere, Prelaten, = = by allen guden Wanheiten, Besittingen, Fryheiden = =  
 unbeworen, fry und fredsahn laten. Item in Reversalibus HENRICI X.  
 Ducis Megapolitani de anno 1471. apud GERDES. loc. cit. Part. II. pag. 91.  
 Und willen iwy desfulte unsle leye Getruwe, alle Manne und Stede = = by Gna-  
 den, Priviliegien, olden Wanheiten unde Gerechtigkeiten = = laten unde behol-  
 den. Gemina porro sunt, quae leguntur in Reversalibus JOHANNIS AL-  
 BER TI & VLRICI, fratrum, Ducum Megapolitanorum de anno 1572. ver-  
 bis: daß diese der Landschafft jcz abermahl geleistete freymillige Hülf, ihnen und al-  
 len ihren Nachkommen daran, und also an ihren Priviliegien, Freyheiten, Gewon-  
 heiten, und von uns habendem Revers = = ganz unchädlich und unnachtheilig  
 seyn soll. Quae iisdem verbis repetita & clementissime promissa sunt a fratribus  
 serenissimis, Ducibus JOHANNE ALBERTO & ADOLPHO FRIDE-  
 RICO in Reversalibus de anno 1621. Quis denique est, qui gravamina illu-  
 stris nobilium ordinis, clementissimasque ad ea DVCVM SERENISSIMO-  
 RVM resolutiones, assidua per voluntaverit manu, cui frequentissime ab vtraque  
 parte ad observantiam provincialem facta provocatio non sit testatissima? Testi-  
 monium in superfluum denuntio B. TORNOV. de feud. Megapol. Part. I.  
 pag. 141. & Generos. Dn. de PREEN in Diff. de origine ac incrementis jur. &  
 privil. nobil. Meckl. §. VI.

## DISTINCTIO VII.

### *Inter jus feudale publicum & privatum.*

**S**tudii juris civilis vti duae sunt positiones, publicum & privatum;  
 (a) ita nec incommoda jus feudalē hanc divisionem admittit.  
 Publicum igitur dico quod statum publicum nexumque feudalem  
 dominum inter & vasallum primario concernit; privatum, quod va-  
 sallorum jura in feudo, eorumque controversias inter se potissimum de-  
 terminat,

terminat. (b) Vsus hujus distinctionis haud levis, verum dignus est, qui interpretibus juris feudalis semper ob oculos versetur. Doctrina enim juris feudalis publici non ex solis juris communis feudalis fontibus petenda, sed ex jure publico stricte ita dicto supplenda est, ita quidem, ut causarum feudalium publicarum decisio primario ex jure publico, secundario ex jure communi feudali desumenda sit. Observandum hoc in primis in Imperio nostro Romano-Germanico, vbi nexus feudalis, tam ille, qui Imperatorem & imperium cum statibus imperii quoad feuda immediata, quam ille, qui principes cum vasalibus intuitu feudorum provincialium conjunctos tenet, statum publicum maximopere tangit. Hinc statim apparet, (I.) insignem esse usum juris publici Germanici tam universalis quam particularis in jure feudali Germanico publico, imo arctissimum ac plane tororium utramque disciplinam vincire vinculum, sine ipsius disciplinae corruptione haud separandum. (II.) Usus juris feudalis privati tam domestici Germanici, quam peregrini Langobardici in decadendis causis feudalibus publicis in primis quoad feuda imperii esse subsidiarium magna adhibita cautione statuendum, si non per exiguum vulgari tamen interpretum opinione longe minorem, (III.) interpretes juris feudalis, antiquioris praesertim aevi, usum hujus distinctionis negligentes, causasque feudales Germaniae publicas ex doctrina juris feudalis communis temere ac inconsulto determinantes, haud leviter errasse, & corruptionis proinde, quae jurisprudentiam nostram feudalem Germanicam invasit, adeoque turpiter foedavit, autores statoresque extitisse. (c) Alio sensu quidem jus feudale in publicum & privatum disperitus est TITIUS, (d) publicum dicens, quod naturam feudorum immediatorum imperii tradit: privatum, quod circa feuda mediata provincialia versatur. At, quod pace viri beati acutissimi alias ingenii monuerim, non satis accurate haec dicta videntur. Posse int enim circa feuda imperii oriri quaestiones, ad jurisprudentiam principum privatam (e) utique referendae; circa feuda vero provincialia haud raro lites enascuntur, ex jure publico particulari vnicce determinandae. Est igitur distinctio juris feudalis in publicum & privatum utriusque juri, tam illi, quod circa feuda imperii, quam alteri, quod circa feuda provincialia versatur, communis, nec cum alia juris feudalis Germanici divisione, qua in imperiale (Reichs-Lehn-Recht) & pro-

& provinciale (das Lehn-Recht der provincien) dispescitur, permiscenda. (f) Tertiam hujus nostrae distinctionis explicationem fugerit BVRGVNDVS (g) jus feudorum publicum vocans, quod communem & propriam; privatum vero, quod singularem & impro priam feudorum indolem exponit. Verum hanc notionem si admittis, nulla inter jus feudale publicum & generale sive commune, privatum & speciale erit diversitas, adeoque, quae de vsu hujus distinctionis dicenda erunt, jam supra ad DIST. II. huj. Cap. exposui.

- (a) Teste VLPIANO in L. I. §. 2. ff. de just. & jur. & JVSTINIANO imperatore in §. 4. J. cod.
- (b) De hac juris feudal divisione prae ceteris solliciti fuere L. B. a LYNCKER in Anal. ad Struv. Synt. jur. feud. Cap. I. aphor. V. ERNST. THEOPH. MEIER in Synt. jur. feud. Proem. ab initio. CASP. HENR. HORN in Jurisprud. feud. Cap. I. §. IX.
- (c) Confer quae adhibita nostra distinctione egregie monuerunt Perillustris a BNAV in Exam. Diff. Bucholtz. Cap. I. §. VI. B. JAC. CARL. SPENER im teutschen jure publ. Lib. I. Cap. XII. §. IX. not. a. & §. IX. not. b. His junge quos supra laudavi ad DIST. II. huj. cap. not. l.
- (d) Im teutschen LehnRecht Cap. II. §. IV. sequ. Quocum convenire videtur SCHILTER in not. ad Struv. Synt. jur. feud. p. m. s. jus feudale publicum dici posse putans quod de re publica in feudum data agit; privatum, quod de re privata.
- (e) De qua ex instituto egit PONICKAV in Diff. de conditione principum imperii privata & B. GRIBNER in Delineat. jurisprud. privatae illustris.
- (f) Consulas, quaequo, ipsius TITII Specim. jur. publ. Lib. II. Cap. IX. & Lib. IV. Cap. IX.
- (g) Ad consuet. Flandr. p. m. 170.

### DISTINCTIO IIX.

*Inter antinomias juris feudalis Langobardici in uno, & in diversis textibus occurrentes.*

**D**ari juris feudalis Langobardici antinomias, sive leges sibi invicem adversantes, ipsa ejus lectio docet, proindeque apud omnes in confessio est. (a) De modo tamen ac ratione eas commode conciliandi non satis inter interpretes convenit. Omnia primo separandi sunt casus per distinctionem nostram allatam. Aut enim antinomiae occurunt in uno; (b) aut in diversis textibus (c) Priori casu quid statuen-

statuendum sit, non vno modo a Doctoribus traditur. Sunt qui eam sententiam praeferebant esse putant, quae primo loco ponitur. (d) Sed cum exempla haud pauca (e) falsum hoc esse evincant, alii in contrarium abeuntes ultimam sententiam prevalere docent. (f) Neutrum horum alii approbantes, eam sententiam eligendam esse censent, quae aequitatis speciem majorem praeferunt, altera rigorem juris nimium sapiente, vel eam, quam ratione meliore feudista munit. (g) Optima est eorum doctrina, qui primum de conciliatione mediantibus justae interpretationis regulis laborandum esse suadent, etsi haec fieri non possit, eam amplectendam esse sententiam statuunt, quae menti feudistae & analogiae juris feudalnis magis convenit, vel vsu est recepta, nullo omnino respectu habito ad ordinem scripturae, an primo an vero secundo loco sit posita. (h) Posteriori casu, si antinomiae in diversis textibus sunt obviae, videndum primo, an unum capitulum sit ordinarium, alterum extraordinarium (i) quo casu sententia in ordinario posita anteferenda contrariae in extraordinario sedem habenti; (k) an vero utrumque capitulum sit ordinarium, (l) tum enim conciliatio prius tentanda, (m) quae si commode fieri nequit, ea sententia amplectenda, quae analogiae juris feudalnis consenteant, vel vsu approbata. Si nec de hoc constet, causa pro indecisa jure feudali Langobardico habenda, &, si ex alio forsan jure (n) decisio peti non potest, definitio a legislatore petenda. (o)

- (a) Evolvas, si placet, HVB. GIPHANII *Antimonias juris feudalium, & GEORG. BEATI Antinomiarum feudalium decisiones.*
- (b) e. g. 2. Feud. 17. 2. Feud. 30. 36. 2. Feud. 28. §. domino guerram &c. §. si vasallus. §. his consequenter. cetera.
- (c) v. g. 2. Feud. 9. si confers cum textu 2. Feud. 73. 2. Feud. 20. §. filii, si comparas textum 2. Feud. 29.
- (d) E quorum numero allegare sufficiat HARTM. PISTOR. Part. II. Quaeſt. XXV. num. XXX. & Quaeſt. XXXII. num. II. MAVRITII Diff. de libris jur. com. §. XXVI. STRVV. Synt. jur. feud. Cap. I. aph. XVI. num. II.
- (e) e. g. 2. Feud. 17. 34. §. 2. 36.
- (f) LVDVVELL. in Synops. jur. feud. Cap. I. p. m. 13. & Cap. IIX. p. 161. VVENSENBEC. de feud. in proem. num. aliquique ab his laudati.
- (g) Inſtar omnium nobis sit ROSENTHAL de feudis Cap. VII. concl. XXXV. num. VII. & concl. LV. num. X. Cap. X. concl. XLII. num. XXXIX. Cap. XII. concl. XV. num. IV. magno glossatorum numero stipatus, eoque potius quam rationibus sententiam suam more sibi soleanni firmans.

(b) Sic

- (b) Sic prior sententia praevalet in textibus 1. Feud. 9. 2. Feud. 28. §. domino queram.  
§. si vasallus. §. bis consequenter. 2. Feud. 51. §. 3. & 6. posterior in textibus 2. Feud. 30. 34. §. 1. 36. 41. 4. Feud. 27. Noviores & siores Jurisconsulti ita sentientes inter alios sunt CARPOV. Disp. feud. I. Thes. XXII. STRYCK. Exam. jur. feud. Cap. I. Quæst. XXXIII. COCC EJI Hypomnem. jur. feud. Tit. I. §. XIV. SCHILT. Instit. jur. feud. Cap. 1. §. vlt. Adde ANTON. MONACH. de recta feud. interpretat. Cap. LVII. Part. I. num. IV. sequ.
- (i) e. g. 2. Feud. 9. collatum cum 2. Feud. 73.
- (k) Ob ea, quae monui ad DISTINCT. III. huj. cap.
- (l) e. c. 2. Feud. 26. §. filii & 2. Feud. 29.
- (m) Dantur enim & antinomiae non vere sed apparerent tales e. g. 1. F. 22. vbi annus & mensis & 2. Feud. 24. pr. vbi annus & dies petendae renovationi investiture praefigitur. De quorum textuum conciliatione infra ad CAP. XVII. DISTINCT. X. plenius erit agendi locus.
- (n) Allodiali scilicet, cuius usum subsidiarium in determinandis causis feudalibus, possitis tamen terminis habilibus, nemo temere negabit. Caveas modo, ne more jurisconsultorum, nimio juris Latialis amore captorum, in jurisprudentia vero domestica hospitum, statim ad jus civile Romanum tanquam ad sacram anchoram confugias, indeque argumenta illa solennia sed satis quandoque inepta & temeraria a liberto ad vasallum, a patrono ad dominum; ab operibus rusticis ad servitia feudalia; ab emphyeusi ad feudum, & quae sunt hujus farraginis plura a celeberrimo illo locorum topicorum ΟΠΕΡΑΣΤΙΣ ΝΙΚ. EVERHARDO in locis argumentorum legalibus collecta, desumas, decisionem quaestionum feudalium invita saepius Themide ex illis extorquens. Potius secundum ea quae scripsi ad DISTINCT. II. huj. Cap. num. V. leges primo allodiales Langobardorum, ad quas frequens in textibus juris feudalium e. g. I. Feud. X. II. Feud. XXII. XXXIX. §. non est LIX. §. I. & II. fit provocatio, consule. His te deficientibus jus allodiale Germanicum excute. Si nec ex eo quaestio feudalis secundum principia domestica determinari possit, tandem ad jus Romanum & Canonicum, in quantum in foris germaniae est receptum, nec juris feudalis analogiae adversatur, tibi pateat recursus. Ita viam recte instruunt HORN. in jurisprud. feud. Cap. I. §. XL. & XLIX. sequ. SENKENBERG in prim. lin. jur. feud. Cap. IV. §. CV. Imo ipsum jus naturae idoneam satis determinandæ rei feudalism normam suppeditare, solide ac acute, pro eo ac solet, probatum dedit Celleb. TREVER in juris feudalis universalis paedie inserta Parerg. Götting. Tom. I. Lib. III. sub num. VI.
- (o) HORN. l. c. §. LI. B. BVRCH. GOTH. STRVV. jurispr. feud. Cap. III. §. vlt.

DISTINCTIO

## DISTINCTIO IX.

*Inter interpretationem juris feudalis authenticam,  
vsualem, & doctrinalem.*

Ipsam doctrinam de interpretatione juris dubii in genere, variisque eius speciebus, non hujus esse loci, sed ex praceptis logicis desumendam ac repetendam, nemo, credo, erit, qui ambigit. (a) Pauca tantum in applicatione ad jus feudale mihi hic monenda erunt. (b) Ante constituendus est casus juris feudalis dubii & incerti, quaestionem obvenientem non satis clare determinantis. Adhibenda igitur interpretatio. Sed quae nam? En vsum nostrae distinctionis! omnium primo enim configiendum ad interpretationem vsualem, & viendum, annon per vsum vel consuetudinem explicatio juris dubii sit recepta, cui tum omnino standum. (c) Exempli instar ex jure feudali Langobardico nobis sufficere poterit textus dubius II. FEVD. xxvi. §. *naturales*, qui secundum communiores vsum de legitimatis per rescriptum principis tantummodo intelligendus est. (d) Nec ex jure feudali domestico Megapolitano exempla defunt. Sic inter alia per bene meritos, quibus Serenissimi Duxes se feuda nobilia aperta iterum collaturos clementissime promiserunt, (e) etiam non nobiles intelligi, praxis, exemplis pluribus comprobata, docet. (f) Si ex usu determinatio juris dubii defumi non potest, ad interpretationem doctrinalem progrediendum, quae vel declarativa est, uti constat, vel extensiva, vel restrictiva. Jus feudale singulas admittit. Declarativa opus est, si verba ratioque legis convenienti, de notione vero vocabulorum & textus σύναρθκή in primis laborandum est. (g) Nota est hujus interpretationis regula: verba esse intelligenda secundum substratam materiam. Sic, ne sine exemplo loquar, in materia feudali vox heredis semper in dubio explicanda de heredibus feudalibus habilibus, h. e masculis & quidem descendentibus. (h) Extensiva interpretatio locum habet, si verba legis angustiora sunt ratione legis, ideoque extensionem ad casus similes admittunt. Hinc regula: ubi eadem est legis ratio, ibi eadem est legis dispositio. Exemplum inter alia subministrat textus I. FEVD. vi. §. 2. ubi disponitur, quod alimenta ex feudo relinquenda sint iis, qui ad feudi successionem sunt inhabiles,

e. g.

e. g. mutis; ex quo Doctores per consequentiam inferunt, ea etiam filiabus vasalli ex feudo esse praestanda, licet de his nihil alias expresse constitutum reperiatur. (i) Simili modo textus 11. FEV D. xxix. §. his consequenter &c. domino tantum sub certa determinatione fructus vltimi anni adjudicans, ad agnatos quoque extenditur. (k) Ex jure nostro feudali Megapolitano exempli loco esse possunt, quae infra (l) de jure vsufructuario, etiam neptibus ex filio competente, item, (m) de successione ascendentium in feuda noviter emta, in medium allaturus sum. Interpretatio restrictiva usum suum exserit, si verba legis ampliora sunt ipsa ratione legis, ideoque restrictionem ad illos solum casus, in quos ratio legis quadrat, desiderant. Constat de hac regula: ubi cessat legis ratio, ibi etiam cessat legis dispositio. Exempli loco affero doctrinam quorundam juris feudalis interpretum, exclusionem feminarum a successione feudali jure communis statutam ad feuda non franca restringendam, ideoque feminas ad successionem in feuda franca admittendas esse, specie satis statuentium. (n) In primis interpretatio haec restrictiva locum sibi vindicat in explicandis vel pactis, investiture adjectis, vel statutis & consuetudinibus localibus contra jus commune quid indulgentibus, quae semper in dubio stricte interpretanda, nec facile ultra casum expressum extendenda sunt. (o) Exemplum ex jure nostro feudali Megapolitano inter alia praebet jus vsufructuarium filiabus nobilibus certo casu in feudo competens, das Erb-Jungfer-Recht. (p) Hoc enim ex fundata satis in jure & praxi Doctorum domesticorum opinione stricte est interpretandum. (q) Ad doctrinalem interpretationem referenda etiam ea erit, quae ex legibus & moribus vicinarum regionum peti solet, quaeque hic in Megapoli omne ferit punctum. (r) Si denique nec visualis nec doctrinalis interpretatio locum invenit, ad authenticam est deveniendum, & ab eo, qui potestate legislatoria instructus est, explicatio & determinatio juris incerti petenda. Cujus enim est leges ferre, ejus etiam est easdem interpretari. Exemplum suppeditant in nostra Megapoli inter alia textus quidam Reversalium, (s) & ordinationis politicae (t) in quibus quaestiones juris feudalis domestici adhuc dubiae a Serenissimis legislatoribus plenissime fuere decisae.

- (a) Dilucide satis eam exposuerunt praeter DD. ad Tit. ff. de just. & jur. B. CASP. HENR. HORN in praelct. de interpretatione juridica, & novissime JOH. LAVR. HOLDERRIEDER in Diff. de principiis interpretationis Legum ad aequatis.
- (b) Plura pete ex SCHRADERO de feud. Part. I. Quæst. III. & V. HORN jurisprud. feud. Cap. I. §. XLIII. sequ. BVRI Erl. des teutschen Lehn R. Part. I. p. 225. sequ.
- (c) In judicando scilicet & sententias ferendo. Aliter in docendo & consulendo. Sunt enim perquam multae in foro ac judiciis feudalibus receptae opinones communes, quas justo sub examine revocatas ex male intellecto jure ortas reprehendebitis, ideoque veriori nomine errores communes appellaveris. His quidem detegendis ac redarguendis jureconsulti nostri in primis aevi, quibus sanæ ac incorruptæ jurisprudentiae restitutio curae cordique est, conjunctis quasi viribus operam dant, tollendis tamen iisdem ac extirpandis, quia tam altas in foro radices egerunt, nisi potestate legislatoria summae potestatis adjuti, non sufficiant. Hic verus est tot inter theoriam & praxin conflictuum fons & scaturigo, incertaeque jurisprudentiae causa non insima. Qui defectus ut sanentur ac emendentur, inter pia jureconsultorum bonorum omnium est desideria.
- (d) Sed, quae hic monenda erunt, exspecta ad CAP. IV. DISTINCT. II.
- (e) In resolut. ad gravam. polit. III. Verba Gravaminis sunt: Dass die ausgestorbene Lehne zum Theil nicht wieder conferiret. Resolutionis: Die Wiederconferirung der eröffneten Lehn betreffend, welche sousten nach bekannten LehnRechten Thro Durchl. als Domino feudi wieder anheim fallen, da zweifeln Thro Durchl. nicht, dass Dero Hochlöbliche Vorfahren, und Thro Durchl. selbst, Sich also bezeiget, dass die von Dero getreuen Ritterschaft sich dessen werden darznehmig zu erinnern haben, wollen auch hinsähr Thro Sich also gegen dieselbe bezeigen, dass die meriten gerueher Landes Patrioten unvergessen bleiben sollen; jedoch können Thro Durchl. sich hierina nicht vor schreiben lassen.
- (f) Quamvis non negem, exempla haec tantum non omnia esse recentioris aevi, illustremque nobilium ordinem hisce factis, tanquam vetustæ hujus provinciae, ita totius Germaniae, consuetudini repugnantibus, nunquam non contradixisse. Plura hanc in rem scripturasum ad CAP. VI. DISTINCT. VI.
- (g) Et hic quidem, praesertim si genus dicendi in medio aevo usitatum probe cognoscere velis, maximopere conducunt scriptores Glossariorum DV FRESNE, SPELMANN, LINDENBROG, SCHILTER, aliisque, nec non linguae nostræ Teutonicae, ejusque nativæ indolis ac mutationis variae interior cognitio. Legas, quoquo B. JOH. SAL. BRVNQVELL. Progr. de usu linguae germanicae veteris in studio juris feudal. Langob. LEIBNITII, item EC CARDI & VVACHTERI scripta Etymologica.
- (h) I. FEVD. XIII. §. et si clientulus. II. FEVD. XXXIV. §. II. verb. profecto. GAIL. Lib. II. Observ. CLIV. num. XX. & XXI. MYNSINGER Cent. V. Observ. LXXII. num. VI. COTTHMANN. Vol. I. Resp. IX. num. CXXXII. sequ. RVDIN.

RVDINGER. obf. jur. cameral. obf. XXV. num. III. MOSERS Reichshoff  
Rahts Proces. Part. III. Cap. III. §. XXIII.

- (i) Confer dicenda ad CAP. XXI. DISTINCT. III.
- (k) Ad CAP. XV. DISTINCT. IV.
- (l) Ad CAP. XV. DISTINCT. ult.
- (m) Ad CAP. XVI. DISTINCT. I.
- (n) Sedes hujus materiae erit in CAP. IV. DISTINCT. XII.
- (o) II. FEVD. II. §. fin. Illustr. BOEHMER Vol. I. Part. II. Consil. CXXXIII.  
n. XXIII. HORN. jurisprud. feudal. Cap. III. §. VI. Adde dicenda ad CAP. II.  
DISTINCT. I. num. III. not. i. & CAP. III. DISTINCT. I. num. I.
- (p) De quo agendi locus erit ad CAP. XV. DISTINCT. IV.
- (q) Confer NOTAS ad Project. des Mecklenb. Lehn. Tit. VII. Art. XIX. TOR-  
NOV. de feud. Mecklenb. Part. I. p. 218. §. 29. ENGELBRECH'T Diff. de  
singul. feud. Mecklenb. jur. Seet. II. §. XXIII.
- (r) Leges enim & consuetudines feudales vicinac Pomeraniae citerioris, quia cum no-  
stris Megapolitanis in plerisque capitibus apprime conveniunt, solemnis est &  
positis terminis habilibus satis justa ab his ad illas, & vice versa, Doctorum argu-  
mentatio. Evolve MEV. Consil. XLIV. num. CXXIX. TORN. loc. cit.  
p. 161. §. XIX.
- (s) De anno 1621. §. 27. sequ, verba initialia sunt: Weil auch zum 27ten wegen der  
Erbjungfrauen, und wie weit sich derselben erlangtes Privilegium erstrecket, eine Zeit-  
lang viel Streit und Irrung fürgangen, als haben wir auf unser getreuen Ritter-  
schaft selbst eigen unterthänges Gutachten, die Sachen dahin verabschiedet ic.
- (t) De anno 1572. Tit. von Erbschäften. §. Als sich auch eßtermahls in unsren Landen  
Irrungen über den Wiederfall der Besserung = = zutragen. Damit nun hins-  
fuhrö alle Unrichtigkeit in sollichen Fällen aufgehoben sey. So ordnen wir ic.



## DE NATVRA AC DEFINITIONE FEVDI.

## DISTINCTIO I.

*Inter feudi essentialia, naturalia, & accidentalia.*

**T**ria haec, sicuti in omnis generis contractibus, ita & in contractu feudali bene ab invicem separanda sunt. Essentialia feudi dicuntur, quae ipsam feudi naturam ac formam constituant, ideoque hac salva abesse vel mutari non possunt; quorum refero haec tria: concessio dominii utilis, rei alicuius immobilis, aut aequipollentis sub lege fidelitatis. (*a*) Naturalia sunt, quae ex praescripto legum & consuetudinum feudalium regulariter feudo inesse solent, salva tamen feudi essentialia pactis mutari possunt. Sic ex juri feudali communi tam Langobardico quam Germanico huc pertinent: juramenti fidelitatis praestatio, masculorum exclusis feminis successio, alienationis liberae denegatio, servitorum praestatio, reliqua. Pro diversitate tamen juris feudalis particularis naturalia feudi admodum variant. (*b*) Accidentalia sunt, quae ex sola contrahentium voluntate per pacta adjiciuntur, feudi naturam vel augmentia vel minuentia, e.g. de certo aliquo servitio praeter ordinaria vasallo praestando, de feminarum successione, de servitorum remissione, & quae sunt ejusmodi sexcenta alia. (*c*) Vsum hujus distinctionis maximum esse, facile appareat (*I.*) Essentialia enim constituunt feudum in genere, ita definiendum, quod sit contractus de rei alicuius immobilis dominio utili, retento dominio directo, in alterum sub lege fidelitatis mutuae transferendo. (*d*) Naturalia faciunt feudum proprium, ita describendum, quod sit feudum, cui omnia feudi essentialia & naturalia salva, & nihil praeter ea per pactum est adjectum. (*e*) Accidentalia efficiunt feudum impro prium, cuius ea proinde definitio, quod sit feudum, cui naturalia quaedam pactis contrahentium ademta sunt, aut cui salvis essentialibus & naturalibus aliquid insoliti per pacta contrahentium est adjectum. (*f*) (*II.*) Essentialia ita necessario ad definiendum feudum requiruntur, ut abesse vel per pactum mutari non possint; sed si hoc factum, res in alium contractum degenerat, feudo quidem

quidem quodammodo similem, non tamen feudalem dicendum. (g) Naturalia adesse quidem solent, imo & regulariter adsunt, per pacta tamen contrahentium mutari ac tolli possunt, ita ut feudi nihilominus essentia salva maneat, & contractus non alias quam feudalis dici possit. Hinc statim apparet, feudum improprium retinere nomen & indolem feudi, licet qualitatem assumferit, a regula omnino declinantem. (h) Accidentalia denique adesse quidem possunt, sed unice ex contrahentium voluntate existentiam suam habent, ita ut feudo non insint, nisi expresse adjecta; vnde regula: pacta dant legem contractui. (III.) Essentialia, quia necessario ad naturam feudi requiruntur, non demum praesumuntur, nec probatione indigent, sed per se contractui feudali insunt, & qui contrarium probat, simul evincit, contractum non esse feudalem. Naturalia, qui a regulariter adsunt, praesumptionem pro se habent, nec indigent probatione, admittunt tamen probationem in contrarium de ipsorum mutatione, per pactum salva feudi substantia facta (i) Accidentalia, quia vnicore a pactis dependent, non praesumuntur, sed qui in eis se fundat, illi etiam necessitas probandi incumbit. (k)

(a) Haud obscure haec continentur in definitione feudi, quam suppeditat textus II. F E V D. XXIII. circ. fin. verbis: Hujus autem generis species quaedam est beneficium illud, quod ex benevolentia ita datur alicui, vt proprietas quidem rei immobilis beneficiatae penes dantem remaneat, vsusfructus vero illius rei ita ad accipientem transferat, vt ad eum, heredesque suos masculos sive feminas (si de his nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat: ad hoc ut ille & sui heredes fideliter domino serviant &c. Essentialia haec feudorum ex prima eorum constitutione & qualitate originaria, quam a primis inde initiosis a reliquis omnibus contractibus diversam ac separatam habuisse leges & historia testantur, sunt derivanda. Nec ullam vnuquam hae qualitates per leges vel mores mutationem passae sunt, sed ad hodiernum usque diem omne jus circa feuda constitutum, tam commune quam particolare, in iis definiendis ac stabiliendis mirifice consentit. Cave tamen offendaris, me inter essentialia feudi referre, ut in re immobili constituantur, cuin tamen tot exempla feudorum, in re mobili e. g. pecunia &c. constitutorum, tam antiquo quam recentiore aevio in medium profert, quibus commoti interpres juris feudalis non insimi subsellii hanc feudi qualitatem ex numero essentialium expungere satius duxerunt. Cogites enim, me potissimum in explicanda natura feudorum, in sensu specialiori ita dictorum, pro instituti mei legibus versari, uti jam monui ad CAP. praecl. DISTINCT. I. not. a. Reliqua quae pro defendenda mea sententia afferri posse opinor, exspecta ad CAP. IV. DISTINCT. X. & CAP. IIX. DISTINCT. I.

E 3

(b) Quae

- (b) Quae enim ex praescripto juris communis feudalis inter naturalia feudi referri debent, non ubique locorum hunc in censum veniunt, sed saepissime in his vel illis regionibus qualitates eis, quas jus commune feudale praescribit, e diametro contrariae feudis jure ordinario adhaerent, e. g. vt feminae possint succedere, vt feuda absqne consensu domini possint alienari, oppignorari, &c. Naturalia igitur feudorum ex jure circa ea recepto vnicce determinationem suam accipiunt, quod cum pro varietate locorum & temporum variat, certae quoque universales ac perpetuae de iis regulae tradi non possunt. Profecto non pauca, quae hodie ex praescripto jurium feudalium pro naturalibus feudi habentur, olim & a primis feudorum initiosis incognita fuisse, successuque demum temporis, novis subinde ortis juribus ac consuetudinibus feudalibus, originem sumfisse, historia feudorum & juris feudalis satis docet, hic vero longius persequi meum non fert institutum.
- (c) Vnicum igitur accidentalium feudi fundamentum est pactum dominum inter & vasallum litteris investiture adjectum. Per quod cum duo stipulari contrahentes possint; vel vt salvis feudi essentialibus & naturalibus omnibus vasallus ad praestandum aliquid teneatur, ad quod alias ex praescripto juris communis & particularis non est obligatus, vel vt in feudi naturalibus, tam illis, quae jus commune, quam quae jus particolare praescribit, aliquid immutetur, hinc bini accidentalium ex vno fonte rivuli innumeritas fere eorum species producentes. Exempla vtriusque generis continet textus. II. FEVD. II. §. 2.
- (d) Confer DISTINC T. seq. & CAP. praec. DISTINCT. I.
- (e) CAP. seq. DISTINCT. I.
- (f) CAP. seq. DISTINCT. I. & II.
- (g) Hinc tot species contractuum cum feudo analogiam quandam habentium, ideoque antiquitus communi nomine Lehn vel Feoda vocari solitorum, quos tamen a feudo, in sensu specialiore accepto, quanta maxima cura potes secernas, supra jam monui ad CAP. I. DISTINCT. I. not. b. Emphyteusis in primis ac census olim feudi nomine venere. Hinc vocabula ipsis cum feudo communia: Erbzinslehn, Zinslehn, Lehn auflaen, Lehn-Waare ic, digna sunt verba transactionis veteris inter Alphonsum comitem Tolosanum, & Abbatem Moysiensem initiae, quae hoc transcribantur. Sunt autem haec: Item fuit actum, quod feodatarii nostri, & monasterii nostri, si quaesito sit feudalibus, proprio sumto vocabulo, cum ad dominum feudi quaesito pertineat, non compellantur coram alio judice litigare: Si autem sit de rebus emphyteuticis, seu censualibus, quae ab aliquibus abusive feoda dicuntur, servetur consuetudo loci. Conservavit nobis ea M. ANT. DOMINICVS de praerog. allod. Cap. XVI. §. IX. Nec aliud quidquam per servile feendum in privilegio Ludovici Pii Imperatoris, monasterio Ebersheimensi anno 824. concessio, cuius haec inter alia verba: Ut nec praesens Abbas - - - - - praesumat, quicquam jure proprietatis alicubi transfundere, vel jure hereditatis alicui concedere. Sed si utilitas monasterii sic exposcit, mancipiis ecclesiae servili tantum feodo concedatur &c. quam emphyteusin aut censum intelligi posse contextus hujus diplomatis, quod exhibet SCHIL T. ad Diff. de Curiis domi-

*dominicalibus in Com. ad jus feud. Alem. p. m. 304.* satis docet. Imo, quod singulare, omnes possessiones fundo terrae inherentes feoda vulgariter nuncupari testatur CODEX LL. NORMANNICARVM Part. II. Cap. XXI. §. II. ap. Ill. a LVDVVIG in Reliqu. MS. Tom. VII. p. 307. Sed satis de hoc, ne nimis longus sim. Quasdam jurium ejusmodi feudo vicinorum species exhibet JVS FEVD. SAX. Cap. LX. seqq. ex edit. Schilt. ALEMANN. Cap. CVII. §. fin. & Cap. CIX. seqq. ibique SCHILT. in Comment. Omnium vero ac singulorum recensionem quis hic a me exspectabit? Cujus ea nosse interest, audeat modo laudata a LVDVVIG *jus clientel.* German. Sect. II. & III. FLEISCHER Inst. jur. feud. Cap. III. §. X. sequ. & qui ceterorum superavit industriam BVRI in der Erläut. des teutsch. LehnR. Part. I. p. 089. sequ.

- (b) Vera igitur est doctrina juris Langobardie in textu II. Feud. XLIX. ita statuentis: Sed qualitercumque ei datum fuerit, sive ad proprium, sive ad libellum, licet propriam feudi naturam non habeat, jure tamen feudi censetur: ut ex his causis ipsum amittat, quibus & verum feudum.
- (i) Modo notes, hanc mutationem strictae esse interpretationis, ita ut uno mutato, alterum tamen mutatum non censeatur: semper enim in dubio firma manet prae sumptio, contrahentes ad jus commune sese conformasse. Evolve textus II. Feud. XXVI. §. feudum. II. Feud. XLIX. Repete quoque, quae de interpretatione restrictiva scripsi supra ad CAP. praeced. DISTINCT. vlt.
- (k) Exemplum habes in textu II. Feud. II. §. 2. Plura de hac nostra distinctione dabit VVVRM SER. de feud. improp. Clasf. I. Sect. III. seqq. EYBEN. in Elect. feud. Cap. XI. §. I. sequ. STRVV. Syntagm. jur. feud. Cap. II. apb. IV. seq. BEYER. Delineat. jur. feud. Cap. I. pos. XI. seqq. & qui omnium accusatissime eam persecutus est THOMASIVS in Dissert. de feud. oblat. Cap. I. §. XXXIV. sequ. Aliam quidem ejus explicationem suggerit TITIVS im teutsch. LehnR. Cap. V. §. II. sequ. item §. L. sequ. & qui illum fecutus est Celeb. GEBAVER in not. ad Schilt. Inst. jur. feud. Cap. III. §. IIIX. Lit. b. Verum an haec rectior, ideoque communiori ac simpliciori juris feudalnis interpretum doctrinæ, a me hactenus expositæ, præferri mereatur, apud alios judicium esto, mihi, summa horum virorum merita exquisitissimamque doctrinam maximo perere suspiciendi, determinare nefas erit. Non tamen omni fundamento destituta videntur, quæ contra monuit Clariss. BVRI in der Erläut. des teutsch. LehnR. Part. I. p. 1309. sequ.

## DISTINCTIO II.

*Inter feudum, quatenus pro contractu feudalii, vel pro jure in re feudalii, vel pro ipsa re feudalii accipitur.*

Miraberis forte, nec immerito, interpres juris feudalii in definitione feudo tantopere variare, ita ut si numerum definitionum inire

inire velis, ipsam Doctorum gregem in numerato habere necesse habeas. Quot enim Doctores, tot definitiones esse, haud contra veritatem dixeris. Haerebit igitur aqua, & in dubio eris constitutus, quenam harum definitionum ceteris sit praestantior accuratiove, adeoque digna, ut omnibus a te anteferatur. (a) Sed desine mirari. Quot enim capita, tot sensus esse, quis quaeso est, quem fugiat? Nota praeterea triplicem potissimum notionem vocis feudi. Sumitur enim (I.) pro contractu feudali (b) (II.) pro ipsa re feudali, (c) (III.) pro jure, quod ex contractu in re feudali oritur, tam ex parte domini, (d) quam ex parte vasalli. (e) Usus hujus observationis est, quod variantes Doctorum de definiendo feudo opiniones ad tres potissimum classes redigere & mediante nostra distinctione facili negotio inter se conciliare possis. Qui enim feudum definiunt, quod sit concessio dominii utilis in re immobili alicui sub lege fidelitatis facta, (f) pro ipso contractu, per quem feudum constituitur, illud accipiunt. Qui feudum dicunt jus in re aliena immobili plenissime videnta fruenda, alicui ex benevolentia domini sub conditione mutuae fidelitatis concessum, (g) pro jure in re feudali vasallo competente illud accipiunt. Qui feudum denique describunt, quod sit res immobilis cum jure dominii utilis alicui sub lege fidelitatis concessa & tradita, (h) de ipsa re in feudum data illud intelligunt. Vides igitur verum inter juris feudalis interpretes, varie licet feudum definientes, non esse dissensum, sed & hic locum habere πολυθρύλητον istud: in verbis simus faciles, modo conveniamus in re. Quaelibet enim definitio definitio suo adaequata, ideoque neutra illarum simpliciter alteri praferenda, sed cuilibet liberum est, quam ex hisce eligere velit, conceptui suo magis adcommodatam. (i)

(a) Varias variorum feudi definitiones si nosse cupias, evolve a LV DVVIG *jus cli-*  
*entcl. Germ. Sect. I. Cap. IV. & Sect. II. Cap. I. §. III. sequ.* BVRI *Erläuter-*  
*des deutsch. LehnR. Part. I. p. 1321. seqq. SENCKENBERG. prim. lin. jar.*  
*feud. Cap. VII. §. CXL. seqq. qui data opera eas colligere, recensere, sub ex-*  
*amen revocare, dijudicare, fluetusque hos in simpulo motos componere fatege-*  
*runt.*

(b) Hinc per feendum aliquem investire dicitur in textibus I. FEVD. XXIX. II.  
 FEVD. III. pr. II. FEVD. IX. pr. II. FEVD. XX.

(c) Huc pertinent locutiones: de feudo investire, feendum tradere, possidere, melius,  
 deterius reddere, alienare, oppignorare &c. Vide textus. I. FEVD. IV. pr.  
 II. FEVD.

II. FEVD. IIX. II. FEVD. XXII. XXV. XXVI. §. I. II. FEVD. XXIX.  
§. si vasallus. II. FEVD. XXXIII. Reliqu.

- (d) Hoc sensu dominus dicitur feudum alienare non posse absque consensu vasalli in textibus II. FEVD. IX. §. fin. II. FEVD. XXXIV. §. I. II. FEVD. LV. §. I. in fin.
- (e) Inde regula: vasallum sine investitura vel successione feudum non posse acquirere I. FEVD. XXV. pr. II. FEVD. I. §. ult. II. FEVD. XXXIII. pr.
- (f) Sat multi interpretum sunt, quibus haec definitio placuit. Sufficiat ex eorum numero citasse MOLINAEVM ad Consuet. Paris. Tit. I. §. CIX. p. 27. ZASIVM de feud. Part. I. num. III. GVLL. FORNER. de feud. Cap. III. CRAGIVM de feud. Lib. I. Tit. IX. §. V. SCHRADER. de feud. Part. II. Cap. II. §. I. FLEISCHER. Instit. jur. feud. Cap. III. §. III.
- (g) Haec definitio omnium frequentissime occurrit, insignioris doctrinac & auctoritatis viris fere omnibus approbata. Sic vñl sunt ea inter reliquos CVJAC. in prolegom. ad Consuet. feud. ANTON. Disput. feud. I. Thes. II. STRV. Synt. jur. feud. Cap. II. Aph. III. SRYCK. Exam. jur. feud. Cap. II. quaest. XI. SCHILT. Instit. jur. feud. Cap. I. §. V. EYBEN, THOMASIVS, TITIVS, HORN, ceteri.
- (b) Rarius hac definitione vñl sunt jureconsulti. Placuit ex tamen FRANC. DVARENTO in Comment. ad Consuet. feud. Cap. II. num. I. ANTON. CONT. in method. feud. Cap. II. & forte adhuc pluribus, quos tamen data opera perquirere ac recensere, cuius quoquo faret utilitatis?
- (i) Definitionem feudi, quam jus ipsum feudale Langobardicum suppeditat, continet textus II. FEVD. XXIII. in fin. cuius verba jam exscriptius ad DISTINCT. praecl. not. a. Lubet hic addere descriptionem feudi, quam exhibet GLOSSA ad JVS SAXONICVM. Lib. II. Art. LIX. Lehn ist Gut oder Guld, so von des Reichs oder der Herren eigen gestellt, und von denselben der Ritterschaft geliehen wird, ihres Standes oder Würdigkeit halber. Von denselben müssen sie denn ihrer Pflicht nach dienen, denn es nichts anders ist als ein Solbt, man wölle sie es dem aus Genaden erlassen.

### DISTINCTIO III.

#### Inter vsumfructum Romanum & Germanicum.

Satis celebris est feudi definitio, quam exhibit textus II. FEVD. XXIII. circ. fin. cuius haec inter alia leguntur verba: ut proprietas quidem rei immobiliis beneficiatae penes dantem remaneat; vsumfructus vero illius rei ita ad accipientem transeat &c. occasionem haec verba dedere vexatissimae illius inter Doctores, quaestionis an feendum, sumto scilicet hoc vocabulo pro jure, vasallo in feudo competente, per vsumfructum commode satis ac adaequate definiri possit? Potior interpretum pars illam negat, ad insignem, quae vsumfructum inter & feendum ex jure feudali constat, differentiam, fidenter satis provocans. (a) Alii contra, auctoritate textus laudati confisi, illam affirmant, (b) sed non uno modo sententiam hanc suam firmare ac interpretari allaborant. Alii adhibita inepta illa inter vsumfructum

proprie

proprie & impropre talem distinctione rem componere sat agunt.  
 (c) Alii, quasi magis recte, adjecta voci *vſusfructus* particula *quidam* rem acu tetigisse sibi visi sunt. (d) Alii denique vocabulo *vſusfructus* comites dederunt adjectiva: *feudalis qualificati*, per haec ejus notio-  
 nem satis determinari putantes. (e) Sed quantum mihi videtur, tota  
 haec quanta quanta inter Doctores lis mediante nostra distinctione op-  
 timo facillimoque negotio componi poterit. *Vſumfructum Romanum*  
 a Germanico multis parasangis distare jam ab aliis traditum est, nec  
*vtriusque indolis explicationem hic repetere meum fert institutum.*  
 (f) Hoc tantum monere, e re erit. Si *vſumfructum Romanum* p̄ae  
 oculis habes, jus vasalli in feudo *vſusfructuarium* dici non potest.  
 Pinguiora enim longe jura sunt vasalli in feudo, quam *vſusfructuarii*  
 in re *vſusfructaria*. (g) Recte igitur sentiunt, qui feudum per *vſumfructum*, Romanum videlicet, definiri non posse statuant. Sin vero  
*vſumfructum Germanicum* intelligis, certe non injurius es in vasal-  
 lum, hunc illi tribuens. Aequipollet enim dominio vtili, quod stylo  
 noviore jureconsulti vasallo tribuere solent. (h) Non vituperanda,  
 igitur est eorum sententia, qui feudum per *vſumfructum*, Germani-  
 cum scilicet, commode satis & adaequate describi posse defendunt. (i)

- (a) Differentias inter *vſumfructum* & feudum apud singulos fere juris *feudalis* in-  
 terpretes invenire poteris. Sufficiet igitur commendasse RITTershvs.  
*Partit. jur. feud. Lib. I. Cap. II. Quaest. IV. CRAGIVM de feud. Lib. I.*  
*Tit. IX. §. XV. STRVV. Synt. jur. feud. Cap. II. Aph. III. num. III.*  
*STRYCK. Exam. jur. feud. Cap. II. Quaest. XIV. ibique VVINTZIGER*  
*in annotat.*
- (b) CVJAC. in Comment. ad I. Feud. V. HOTOMANN. *Disp. Fend. Cap. IV.*  
 JOH. COEPEN. *Obs. Feud. I. num. XIX. SCHONER. Disp. Feud. I.*  
*Thef. I. GOEDD. Disp. Feud. I. Thef. III. ERIC MAVRIT. Pos. jur.*  
*feud. controv. Dec. I. §. I. seqq. STRVV. jurispr. feud. Cap. II. §. II.*  
*ENGAV. Elem. jur. Germ. civil. Lib. II. Tit. IV. §. LXXIII. edit. prior.*
- (c) Non plane alienus ab hac sententia est lumen illud ac decus jureconsultorum. B.  
 STRYCK. loc. jam jam citat. *Quaest. XIII.* cui adjungere liceat GAIL. *Lib. II.*  
*obs. CLV. num. III. & V.*
- (d) Muniti auctoritate Justiniani Imperatoris, vel potius Tribonianii, legatum de-  
 scribentis per donationem quandam in §. I. *J. de legat.* Ex horum classe sunt  
**VVLTEJ. de feud. Lib. I. Cap. II. num. IX. VVVRMSE. de feud. impropr.**  
*Class. I. Sect. II. num. I. & V. LVDVVELL. Synops. jur. feud. Cap. II. p.m.*  
*27. ceteri.*
- (e) MAVRIT. loc. cit. §. III. SCHILT. *Instit. jur. feud. Cap. III. §. IV.* & qui  
 novissimis temporibus vocem *domini* vtilis ex doctrina feudaliter plane proscribe-  
 re, ejusque in locum vocabulum *vſusfructus qualificati*, vel *domini* vtilitatis suf-  
 ficerre magno molimine conatus est Clariss. SENCKENBERG. in prim. lin.  
*jur.*

- jur. feud.* Cap. VII. §. CXLII. seqq. & in praelus. ad textum 2. *Feud.* 28. §. his  
consequenter &c. inserta Meditat. fascicul. II. num. I. ipse tamen suscepito viz  
bello iterum receptui canens in Praefat. ad prim. lin. j. f. §. IIX.  
(f) Naturam vſusfructus Romani exponunt interpres juris civilis ad Tit. ff. de vſu  
fruct. seqq. prae ceteris commendari meretur GALVANVS de vſufructu. Ger  
manici indolem tradiderunt, qui jura Germanica sepulta fere & extincta ab ob  
livione & interitu vindicarunt SCHILDT. in Prax. jur. Rom. Exerc. XVII.  
thes. XV. sequ. BERGER in Delineat. jur. Germ. Lib. II. Cap. X. & ille jure  
consultorum ΧΩΤΟΣΟΥΟΣ Illustr. HEINECC. in Elem. jur. Germ. Part. I.  
Lib. II. §. XXXIII. & XXXVII. sequ.  
(g) Respice ad not. a. & quos ibi Doctores laudavi, si placet, evolve.  
(h) Confer dicenda ad CAP. XII. DISTINCT. I.  
(i) Consentient cum mecum EYBEN. in Elect. feud. Cap. XI. §. VII. THOMAS. in  
Diff. de origin. feudal. §. I not. e. & in not. ad Huber de jure civit. Lib. II. Sect. V.  
Cap. I. §. I. BEYER. in Delineat. jur. feudal. Cap. I. pos. VI. Imo in diplo  
matibus medii aevi passim occurruunt formulae: beneficiare (id est infundare)  
vſufructuario: beneficium sive feudum vſufructuare: vſufructuario ordine in bene  
ficium (feudum) tenere: ad beneficium conferre vſufructuario jure excolendum.  
Exempli loco esse potest Diploma Ottonis III. Imperatoris, quod exhibet A V B.  
MIRAEVS in Codic. donat. piar. Cap. XLII. p. 140. ad ann. 985. cuius haec ver  
ba: Fidi nostro Theodorico, comiti Hollandiae, quicquid nostro concessu hacennus  
in beneficium tenuit inter duo flumina, quae vocantur Leone & Hisla in proprium  
dedimus cum omnibus quae in beneficio, regio concessa, per fructuarium vsum ante  
bac possedit. Fide haec scribo Illustr. a LVDEVVIG in Jur. clientel. Germ.  
Sect. II. Cap. II. §. II. not. 6.

## DISTINCTIO IV.

## Inter feudum &amp; allodium.

Feudo opponitur allodium, cuius vocis varii in Legibus & diplo  
matibus medii aevi occurruunt significatus, sedulo omnino ad rite  
intelligenda antiquioris seculi monumenta, debiteque separandam  
feudi ab allodio naturam, tibi notandi. Potiores tantum tangam.  
Denotat enim (I.) in sensu latiori omnia illa bona, quae non sunt  
feudalia, h. e. quae non sub nexu fidelitatis vasallitione, sed alio quo  
cunque titulo tenentur (a) (II.) in sensu strictiore ea tantum bona,  
quae in pleno alicujus sunt dominio, (b) (III.) in sensu strictissimo  
bona immobilia, hereditario jure a parentibus accepta. (c) Hodie si  
feudo allodium contradistinguimus, vocem allodii in priori signifi  
catu accipimus, quem & me in hac distinctione ob oculos habuisse,  
quilibet facile animadvertis. Synonyma allodii in veteribus moni  
mentis occurruunt varia. Notiora sunt, feudum solare, Germ. Sonnen  
Lehen, quod a nemine nisi Deo, sive sole, secundum phrasin gentili  
eis lib.

tiam, recognoscitur; (*a*) hereditas; patrimonium, proprietas. (*e*) Germani dicunt Erb- und eigenthümliches Gut. Vsum distinctionis nostrae satis probant insignes, quae feudum inter & allodium & olim & nostris temporibus, praesertim ratione successionis & facultatis de eo disponendi, intercedunt differentiae. Sed eas hic jam exponere nimis longum & ab instituto alienum erit. Brevem enim totius juris feudalnis delineationem exhiberem necesse esset, si omnia, quae inter feudum & allodium intersunt discrimina ordine recensere vellem. (*f*) Sufficit mihi illum solum hujus distinctionis vsum allegasse, qui ad praeliminarem de feudis tractationem proprie spectare videtur. Digitum intendo in regulam a Doctoribus, materiam de presumtionibus feudalibus explicantibus, tradi solitam. Illam scilicet, quod bona in dubio presumantur allodialia magis quam feudalia. In veritatem hujus regulae multis inquirere, rationesque, quibus superstruta est, sub examen revocare, supervacaneum erit. De illa enim in thesi qui dubitaret, neminem adhuc reperire licuit. Has vero juris feudalnis interpretes tantum non omnes largo numero suppeditant, quorsum igitur eas quaerentem jure ablegare licebit. (*g*) Effectus tamen hujus regulae, qui existente casu successionis dubiae, & possessionis inde controversae, praesertim in ardua illa ac illustri causa separationis feudi ab allodio, se exserit, dignus est, quem hic paucis exponam. Qui enim allodiale rei qualitatem esse asserit, quoniam vi regulae praedictae presumptionem pro se militantem habet, ab onere probandi liberatur, in possessione, si in ea jam est constitutus, confirmatur, sin minus, jus possidendi ei adjudicatur. Contra, qui feudalitatem rei pro se allegat, & onere probandi gravatur & commodo possessionis privatur. Jam pone casus, in quibus lis de qualitate rei, vtrum allodialis ea sit, an vero feudal, oriri potest. Tres sunt potissimum. Vel enim controversia agitur inter dominum directum & successores ultimo defuncti vasalli allodiales; vel inter heredes vasalli allodiales & feudales; vel inter heredis vasalli allodiales & eos, qui a domino exspectativam acquisiverunt. In priori casu dominus affirmat praedium esse feudale, filiae vero aut agnati, a primo praetenso vasallo non descendentes, dicunt esse allodiale. In altero casu heredes allodiales qualitatem bonorum allodialem esse contendunt, agnati vero se fundant in feudali. In tertio casu is, cui exspectativa est concessa, ad feudalitatem provocat, filiae vel ceteri heredes allodiales ad allodialitatem. Cui jam singulis hisce casibus probatio injungenda, vel non; cui possessio adjudicanda vel non, ex modo dictis

dictis facile patebit. (b) Exceptionem regulae nostrae Doctores hanc vulgo constituunt, nisi conjecturae adsint in contrarium, rem potius feudalem esse probantes, & quidem evidenter. Sed quaenam conjecturae evidentes dici possint, cum certis regulis determinari nequit, arbitrio judicis, ex rerum circumstantiis judicium prudenter ferentis, tota res erit relinquenda. Adde, quod exceptio haec jam tacite in ipsa regula contineatur. Si enim circumstantiae contrarium evincentes adsint, omnis presumptionis vis per se concidit. Tantum de thesi. Progrediamur ad hypothesin sive ad applicationem hactenus dictorum ad feuda tam imperii quam provincialia. Quod ad haec quidem attinet, regulam supra expositam omnino locum habere, inter Doctores fere convenit, (i) & jure quidem optimo maximo, si Germaniam nostram olim totam allodialem, successu tantum temporis sensim sensimque in feudalem maximam partem versam esse, ex historia edocet cogites. Intuitu vero feudorum imperii, in primis majorum, res non adeo certa. Potius, annon presumptio juris communis horum respectu invertenda, & magis pro qualitate feudali, quam allodiali, presumendum sit, in illustribus illis recentiore aeo de successione Aurelianensi & Limburgensi agitatis controversiis, magno argumentorum apparatu in utramque partem disputatum est. (k)

(a) Ita ut non solum bona, quae pleno dominio quis tenet, sed etiam quae minus pleno, e. g. emphyteutica, non solum quae a praestationibus omnibus libera, sed etiam quae iis obnoxia e. g. censitica, non hereditaria solum, sed etiam acquisita, ejus nomine veniant. Hinc generalis illa bonorum in antiquis monumentis solennis distinctio in feudalia & allodialia. **BERTOLDVS CONSTANTIENSIS** in append. ad Hermann. ad ann. 1080. p. 302. ap. Vistis. de morte Ottonis Comitis ita narrat: *Milites quoque ejus opes ipsuadiri puerunt, & tam allodium ejus, quam feodium non heredes ejus sed extranei possederant.* CAPITVL. CAR. M. ad ann. 800. Cap. XIX. si deo donante super se & suam familiam, aut in beneficio aut in alode annonam habuerit. Decret. Imper. ap. BALV TZ. Tom. I. p. 629. & GEORGISCH. in Corp. Jur. Germ. antiqu. p. 870. Deinde in nostro regno beneficium non habeat, & alodes ejus in bannum mittatur. Sive in bona propria & fiscalia Du FRESNE Gloss. voc. *Fiscus*. MARCVLF. in Formul. L. 1. C. 2. Dum ille Episcopus monasterium in pago illo aut super sua proprietate, aut super fisco noscitur aedificasse &c. BIGNONII ad hunc locum verba ap. BALV TZ. Tom. II. pag. 875. digna sunt, quae hic exscribantur: *His verbis notatur maxima rerum divisio eo seculo recepta. Omnia namque praedia aut propria erant, aut fiscalia. Propria seu proprietates dicebantur, quae nullius juri obnoxia erant, sed optime maximo jure posse debantur, ideoque ad heredes transibant. Fiscalia vero beneficia sive fisci vocabantur, quae a rege ut plurimum, posteaque ab aliis ita concedebantur, ut certis legibus servitiusque obnoxia cum vita accipientis finirentur.* Germanice in *Lehn und Erbe*, vnde & heredes distinguuntur in *LehnErben* und *LandErben*. JVS. PROV. SAX. Lib. I. Art. IV. edit. Zobel. Auf aljuriel und Gezwerg, und der gleichen

gleichen untauglichen Leut stirbet weder **Lehn** noch **Erbe**. = = Wird auch ein Kind geboren stumm, Sinn oder Witzlos, oder blind, oder sonst unvollkommen an seinem Leibe, das ist wohl Erbe zu Land Recht, aber nicht zu Lehn Recht. = = Der auszäugig Mann der empfängt gleicher Weis auch kein **Lehn** noch kein **Erbe**. Art. V. in fin. Mit welchem Gut der Mann ersterbt, dis heißt alles **Erbe**, es sei denn **Lehn**, quamvis non nesciam, haec ultima verba, es sei denn Lehn, in Codicibus MSCC. non reperiri, sed ex errore e glossa in textum esse translata; Sunt enim initium Glossae ad b. l. debirae suae sedi in editione GAERTNERIANA iterum restituta. GLOSSA ad Lib. II. Art. XXI. edit. Gaertner. Nun will er sagen von dem Unterschied zwischen den **Lehnserben** und den **Landerben**. Ein Erbe nach Land Recht ist die Tochter, ein Lehnserbe aber der Sohn. Hoc sensu allodium commode iterum dividi potest in plenum sive perfectum, & minus plenum sive imperfectum, ita ut sub illo, bona, quae jure pleni dominii; hoc, quae jure minus pleni dominii, titulo tamen allodiali, quis tenet, intelligentur.

(b) Bona igitur emphyteutica, censitica, libellaria, aliaque, quae vel jure tantum minus pleni dominii possidentur, vel certis oneribus & praestationibus obnoxia sunt, hoc sensu sub nomine allodii non veniunt. Sed bona in primis emphyteutica & censitica ad Feoda vel Lehn referenda sunt, ut jam supra me monere memini ad CAP. I. DIST. I. not. b. & huj. CAP. DISTINCT. I. not. g. Sola igitur bona pleno dominio possessa & ab omnibus praestationibus immunia, voce alodii continentur. CHARTA TABULARII VINDOCIN LV. ap. Du Fresne Gloss. voc. alodis: *Habebat vinea agripennum vnum allodialiter immunem, hoc est, ab omni census & vicariae exhibitione liberum. Alia ejusdem Tabul. ap. eundem. Reddit ea terra 2. Dem. census, cum ante semper allodium fuisse. Hinc saepe vocis allodii juncta reperies epitheta: libertum, purum, quittum, francum, ut videre est ex chartis, quas exhibent DV FRESNE loc. cit. & ANT. DOMINIC. de praerogativa allodiorum Cap. XXI. §. vlt. Pertinet huc quoque distinctio inter Eigen & Zinsgut, quam non inepte explicat GLOSSA ad JVS PROVINC. SAX. Lib. III. Art. LXXIX. Ein Zinsgut ist weder eigen Erb, noch Lehn. Es ist aber darum kein eigen, daß der Herr darauf einen Zins habe; denn das eigen hat man ohn allen Zins. Erbe ist es auch nicht, darum daß es der Richter niemandes aufgeben mag. Auch ist es kein Lehn, weil man Zins davon giebt. Vno verbo: Solum allodium plenum sive perfectum sub hac vocis allodii notione cadit. Confer II. FEVD. LIV. & BITSCH. in Comment. ad b. test. THOMASII Diff. de prae sumpt. allodial. §. XXXII. SCHILTER Inslit. jur. feud. Cap. II. §. IV. & V. ibique GEBAVER in not. TITIVS im teutschen Lehn Recht. Cap. IV. §. XVI. seqq.*

(c) Germ. Erbgut, cuius oppositum est erworbenes, erungenes Gut, die Errungenenschaft. Satis enim nota est leges & chartas antiquas scrutantib[us] distinctio bonorum in ea, quae ex hereditate parentum, & quae ex comparatu, conquisito, attractu, acquisita. Evidenter vox allodii utriusque generis bona non raro designat. Verba ADVENTATIONIS LVDOVICI REGIS apud Confluentiam CAP. VI. inter alia sunt: & illorum alodes de hereditate & de conquisitu, & quod de donatione nostri senioris labuerant. CAPITVL. CAR. CALVI. Tit. XXXIII. Cap. IV. & V. alodes illorum, quos de hereditate & de tali conquisitu, qui de nostra donatione non venit, babuerunt. Tit. XXXI. Cap. VII. illorum alodes de hereditate & de conquisito illis concedo. ap. BALV TZ. Tom. II. p. 144. 145. 147. Saepissime etiam vocabulo allodii, quando bona hereditaria acquisitis contradistincta denotat, additam reperies voculam parentum. MARCVLF. Lib. I. Formul. XXXIII. ap. BALV TZ. Tom. II. p. 322. aut munere regio, aut per venditionis, donationis, cessionis, commun-

communicationis titulo, vel de alode parentum. Lib. II. Formul. VI. p. 407. quicquid ibi-  
dens ad praefens rum de alode parentum, vel de quolibet attractu possidere videor. Lib.  
II. Formul. XI. p. 412. quicquid ibidem usque nunc tam de alode paterna quam de compa-  
ratu visus sum tenuisse. SCHANNAT Corp. Tradit. Fuldens. num. XXXV. quicquid in  
bis locis de alode parentum, vel de qualibet attracto ad nos noscitur pervenisse. Non de-  
sunt tamē, in veteribus monumentis loca, vbi vox alodis simpliciter & sine addito po-  
sita, attractui sive bonis nove acquisitis opponitur, ideoque sola bona hereditaria a pa-  
rentibus jure successionis accepta, terram aviatam veteres dicere solebant, designat.  
HARIVLFVS L.I. Chron. centul. Cap.XV. ap. DV FRESNE Gloss. voc. alodis. Paternae  
hereditati, quam nostrates alodium vel patrimonium vocant, se se contulit. LL. BAIVVA-  
RIORVM Tit. XVII. Cap. II. Mei antecessores tenuerunt, & mihi in alodem relinquerunt.  
MARCVLF. Lib. II. Form. VII. ap. BALVTZ. Tom. II. p. 408, tam de alode, aut de com-  
paratu, vel de quolibet attractu. In donatione VVillisvvindae facta Monasterio Lauris-  
hamensi ap. TOLNER VM in Cod. Diplom. p. 2. haec leguntur verba: quae mibi de parte  
genitoris mei nomine Adelheini legibus obvenit, & undecunque tam de alode, quam de  
comparato, seu de quolibet attractu ad nos noscitur pervenisse. Et si dicendum quod res  
est, haec ultima vocis allodii significatio ceteris omnibus & antiquissima & maxime pro-  
pria videtur. Consentientes habeo Viros doctissimos HIERON. EIGNON in vot. ad L.  
Salicam Tit. LXII. & in not. ad Marculph. Lib. I. Cap. II. & Lib. eod. Cap. XII. ap. BA-  
LVTZ. Tom. II. p. 873. seq. 875. 895. GODFR. VVENDELIN. in Gloss. ad L. Sal. voc.  
Alode. JOH. GEORG. ECCARD. in Com. ad L. Sal. Tit. LXII. p. m. 100. a LVDEVVIG  
in jur. feud. Tom. I. Cap. III. Quaest. II. p. 80. Habet hinc originem distinctionis inter  
bona ex munere regum concessia, ex alode parentum, & ex comparatu sive proprio ad-  
tractu. Vel, si hodierno dicendi genere vti velis, inter bona feudalia, allodialia hered-  
itaria, & allodialia acquisita. MARCVLF. Lib. I. Form. XII. Villas illas, quas aut mu-  
nere regio, aut de alode parentum, vel undecunque usque ad praefens tenere videtur.  
Lib. II. Form. XVII. quicquid ex proprietate parentum, vel proprio labore, seu ex mu-  
nificentia a p̄is principibus percipere meruimus. Coincidit cum hac distinctio Germanica  
majoribus nostris admodum usitata inter Lehn, Erbe und Eigen. Lehn dicitur, quod quis  
jure tenet clientelari; Erbe, denotat allodium jure hereditario a majoribus acceptum;  
Eigen, quod quis ipse acquisivit. GLOSSA ad JVS PROV. SAX. Lib. III. Art. LXXIX.  
Ein Zinsgut ist weder Eigen, Erb, noch Lehn. Privilegii CAROLI IV. IMPER. Friedber-  
genibus concessi anno 1350. im gründlichen Bericht von der Burg Friedberg Part. II. p. 11.  
haec sunt verba: Und geben und thun sie mit Craft des Briffs, daß niemand us ir Libe odir  
us ir Gut, is sey eigen, Erbe, Lehn, oder Pfandgut, oder wy is genant is, sy läden, hesschen,  
oder beklagen soll oder mag. In Diplomate LUDOVICI BRANDEBVRGICI ap. Dn. a  
LVDEVVIG in Reliqu. MSC. Tom. VII. p. 07. dicitur: Und al de gute Wanheit, der se  
brücken, und geb्रucket hebben an eghen, an Lende, an Erve, und an alle dem, das se in tech-  
terwore hebben. Sed vela hic contraham, nimium ne longus sim & a chorda aberrare vi-  
dear. Reliqua quae de vocis allodii derivatione, definitione, ac notatione inter Docto-  
res disputari solent, si recensere, ne dicam sub examen revocare vellem, integrilbelli  
materia adesset, angustis notulæ cancellis certe non includenda. Sufficit me pro insi-  
tuti mei legibus utilitatem, quam ex diligenti variae vocis allodii acceptiois obser-  
vatione sperare licet haud exiguum, quam potui brevissimis ostendisse, & quod praeſcine  
dixerim, si quis alias, distinetæ notasse. Tu qui plura nostre cupis, adeas qui allodii natu-  
ram latius & data opera exposuerunt. M. ANT. DOMINICVM de praerogativa allo-  
diorum.


- diorum. STRYCK. *Diss. de jur. allodiali principum imperii.* Cap. I. STRVV. *de allodii imperii.* Cap. I. DAN. HOEFERS gründlicher Unterricht von Allodial-Güthern. TH. PETR. HENR. de TAVSCH. *Diss. de vera allodii indeole & natura.* JVST. EBERH. BERGHOF. *Diss. de allodio illustrium imperii.*
- (d) Varias eruditorum de feudis hisce solaribus conjecturas, imo & interdum naenias plus quam decemvirales legere poteris apud AHASV. FRITSCHIVM & EYBEN in *Diss. de feudo solari,* inter Opusc. Eyben. Part. III. p. 64. seqq. ab ERFFA *Diss. de bonis Germaniae, feuda solaria Germ. SonnenLehn dictis.* GVNDLING. von SonnenLehn in Gundlingianis Part. XII. num. III. BVRI *Erläut. des deutsch. Lehn R.* Part. I. p. 437. seqq.
- (e) I. FEVD. IV. §. II. II. FEVD. XXIX. XLII. XLIII. XLIV. XLV. XLIX. LI. §. filius. Chartas & Diplomata medii aevi hic facientia brevitatis causa non afferam. Innumeram fere sunt; Quaedam reperire poteris ap. B. STRVVIVM *de allodii imperii* Cap. I. §. II. BVRI loc. cit. p. 384. seq.
- (f) Exposuerunt ea maximam partem secundum jus Germaniae tam antiquum quam modernum praeter Doctores ad not. c. in fin. laudatos THOMAS. in sel. capit. hist. jur. feud. §. XXI. seqq. in *Diss. de originibus feudal.* §. XX. & in *Diss. de prae sumptione allodialitatis.* §. XXXI. BVRI loc. cit. p. 387. seqq.
- (g) Centurias imo myriades Doctorum hic allegare non difficilis foret laboris, si mos antiquus, integra doctorum agmina ducendi, citationesque librorum, decisionum, consiliorum, Responsorum coacervandi hodie ad palatum esset. Sat erit laudasse MENOCH. Lib. I. Praef. unit. CXXXIII. CARPZ. Part. I. Const. XXVII. Def. VII. IIX. IX. STRVV. Synt. jur. feud. Cap. XVI. aph. XI. STRYCK. *de prae sumpt. feud.* Cap. II. num. IX. sq. BEYER. Delin. jur. feud. Cap. I. pos. LIX. seqq. MYNSING. Cent. V. obs. XXV. BOEHMER. Vol. I. Part. II. Resp. LVIII. num. XIIX. seqq. Resp. LIX. sqq. BVRI loc. saep. cit. p. 1340. seqq.
- (h) Confer textus juris feudalis Langobardie clare satis rem determinantes II. FEVD. XXVI. §. inter filiam. II. FEVD. XII. II. FEVD. LI. §. V. JVS PROV. SAX. Lib. II. Art. XLIII. ex edit. Gaertneri ita disponit. Wer ihm ein Gut zusagt zu Lehn, und ein anderer sagt, es sey sein Eigen, sprechen si es mit gleicher Gewehr an, so muß es dieser eher mit zweyer Schöpfen Zeugnis zu eigen behalten, denn der andere zu Lehn.
- (i) Dissentientem tamen deprehendi SCHANNATVM in Clientel. Fuldens. benef. Part. II. Cap. II. §. VI. pro domino semper in dubio prae sumi, & ita in Curia Fuldensi pronuntiari attestantem.
- (k) Affirmativam defenderunt Regis Borussiae caussam agentes COCCEJVS in *Diss. de prae sumptione qualitatibus feudalis comitatuum.* THOMASIVS in *Diss. de prae sumptione allodialitatis.* GVNDLING. in *Diatribre de feudi vexilli.* §. XLII. Negativam pro virili AVTOR der Limburgischen Deduction ap. FABRVM in der Staats Cantley Part. XV. AVTOR Scripti pro memoria in causa V Volffsteinis ap. EVND. Part. LIX. Cap. XIII. & ap. MOSERVUM in der Reids. Fama. Tom. XIII. p. 671. seqq. Litem hanc adhibita distinctione inter Ducatus & Comitatus eaeteraque minoria imperii feuda componi posse & ex rei veritate debere, visum fuit B. STRVVIO *de allodii Imperii* Cap. IV. §. XVI. sq. Decisio controversiae ex historia imperiali & principiis juris publici petenda est, ergo non hujus loci, de ea indaganda sollicitum esse. Manum ergo de tabula.


T A N T V M .





23 Jan 1989





Emphytheus in aut rem immobilem aliam sive pro im-  
quae inter bona familiaria & auita numeretur, &  
ereditatis iure adquisita sit, alienet & vendat, com-  
eiusmodi proximo cognato, id est propinquo tam per  
per mares coniuncto, usque ad quartum gradum inclu-  
sipationem ciuilem, intra annum & diem, ex quo ea  
icio perfecta & actis insinuata fuit, potestas & ius  
indi & retrahendi, adeoque emtorem priorem a con-  
ellendi & impediendi. Ita tamen, ut cognatus rem  
imprimis cognationem, si de ea dubitetur, in iudicio  
um quod extraneus emtor soluit, cum arrbis, sumi-  
go Weinkauff) aliisque insinuationis & subsignatio-  
niter offerat, quo facto emtor rem ad familiam reno-  
rem restituere tenebitur.

## §. XXVII.

## TAVORVM ET HELVETIORVM

Batauorum Retractum gentilitium locum habere  
s testis est HGGO GROTIUS (a) qui ita scribit:  
in de Voorseyde plaatzen de bloet verwanden van den  
van swaerdzyde als van spilzyde, sonder aensien, oft  
yde gekomen is of niet, nogte ook of het erfoet is of  
dat den naester den verkoper naerder zy van bloede  
ende plag van oots niet verder te strecken als tot  
nderen, om dat ook de erffenissen by versterf niet  
ende die de naesting eerst aenleyt, gaet voor allen  
hant komende, al waren die ook naerder magen.

E 2

Nec

inge tot de Hollandtsche Regtsgleertheit Lib. 3. Cap. 16.  
7.

C 1 1

Patch Reference numbers on left

Image Engineering Scan Reference Chart

TE263 Serial No.